

FRANCISCI

A IOYOSA,

ARCHIEPISCOPI TOLOSANI.

Decreta ad Fori Archiepiscopalis
Tolosani Reformationem.

*Tertia editio auctior & expurgatior,
cum Scholijs & Notis,*

D. SIMONIS DE PEYRONET, Doctoris Theologi,
& Rectoris Ecclesiæ Parochialis B. Mariæ
nuncupatæ de Tauro; necnon Iudicis Metro-
polit. in Archiepiscopatu & Prouincia Tolo-
sana Vicesgerentis.

*Accesserunt alia Decreta ex Regestis Curie Metro-
politana fideliter excerpta: Itemque Series Tolosa-
norum Præfulum, ac Iudicum Metropolitanorum,
Officialiumque, quotquot haberi potuerunt, No-
menclatura.*




TOLOSÆ,

Apud ARNALDVM COLOMERIVM, Regis & Academiæ
Tolosanæ Typographum.

M. DC. LXV.







ILLVSTRISSIMO

ECCLESIAE PRINCIPI

DOMINO DOM.

CAROLO D'ANGLVRE
DE BOVRLEMONT,

ARCHIEPISCOPO TOLOSANO.

Regi Christianissimo ab vtrisque
Consilijs, &c.

REPRESSISSET me
opusculi tenuitas quod offero,
ARCHIPRAESVL ILLVSTRISSE,
nisi fulgor ille tuus, qui reuerentiam
inspirat, securitatem imperasset; Non
dedit animos opus istud quodcūq; est,
decus quod illi contigit, supra vota,

*supra merita, facit clarum tui Nominis lumen, quod eius fronti insidet. Ita est, ARCHIPRAESVL ILLUSTRIS-
SIMUS, audacem fecit comis illa urbanitas, quam tuomet à genio habuisti, hac serena fronte vel minima suscipit, hac te talem exhibet qui licet grandia augusta merearis, nil tamen possis dedignari. Scis enim minutulis stellis saepius Lunam cingi, scis in Oceanum fluere minores rivulos, nec minus repentes humi flosculos quam Rosas sole afflari; Tu sole benignior id habes innatum, ut omnium votis, vultu & animo faueas. Id Ego novi, qui Opus hoc quantuluncunque Tibi consecro. Hoc quia explico Ecclesiastici muneris dignitatem, non duxi sacra rei maiestatem emendicato eloquentiae fūco corrumpendam. ARCHIPRAESVLE dignum credidi, quidquid vel ad eius, vel ad Cleri dignitatem spectat; di-*

gnum Te facis, quidquid tibi consecratur, sic habebit opus istud ex tuo Stemmate Nobilitatem, decus ex tuo Nomine, ad Te quisquis accedit fit maior, hoc enim tam illustri nomine tantum luminis potes omnibus addere, quantum decoris Galliae tui intulere: Graue vobis pondus iniecerat eternum victurus Parens, imitationem sui, se diuisit unus in multos, ut quod erat, Deo & Regno Gallico consecraret in Filijs, habet in te Ecclesia qui militantis Ecclesiae Monarcham mira referat similitudine, habuit in Fratribus, imo habet Liliorum nostrorum Seminatores. Te Rex maximus olim Praesulem voluit ad Archipraesulis apicem affurgere, quid mirum qui pietatem tuae Genti innatam nouit. Nulla delebit obliuio, tanti inter tuos Maiores Herois factum. Quem tanto impetu in Turcas impulit reli.

gionis studium, ut capi potuerit non
corrumpi, ipsius Saladini Sorori amo-
rem inspirauit Clarissimi nominis
maiestas, clavior inuicti roboris fa-
ma, sed maluisset saladini dexte-
ra cadere, quàm ad saladini for-
tunam euehi; Ideoque Saladini ca-
ptiuus dimitti debuit, quia vicit,
sed Deo, non captus oculis Sala-
dina. Quid loquar Abbatem Lu-
dovicum de Bourlemont, Germanum
tuum, quem suspiciens nuper bellicus
furor audiuit loquentem ore pacifico,
& quieuit, cui arma dedit stragem
spirantia Mars Gallicus, quem de-
nique excepit mille præconijs Ponti-
fex Beatissimus. Hæc Germanos de-
cuit pietas, quæ te fecit Archipræsu-
lem, ut illorum famam tuis infulis
adequaueris; O me felicem! ad inui-
diam, qui hoc Opusculum consecratu-
rus, tuas respexi infulas, imo Te in tuis

*infulis. Hoc suscipe, ARCHIPRAESVL
ILLVSTRISIME, vultu quo serenas om-
nia, ore quo fundis oracula, animo
quo aeternam amularis sapientiam,
& patère in hoc fastigio maiestatis,
ut tamdiu sim, quamdiu vixero.*

ILLVSTRISSIMÆ DOMINATIONI TVÆ.

Addictissimus & obsequen-
tissimus,

SIMON PEYRONET,



A D


LECTOREM.

VISQVIS Opus istud Lecturus es, paucis te monitum velim, quid impulerit hoc permittere tuo iudicio, vtilitati consecrare : Ad Ecclesiastici fori dignitates euectus, non passus sum Ecclesiasticos ritus neglectè iacere. Auito splendori restituenda credidi, & Notis illustranda, tam Augusti Fori decreta, & Capellæ Tolosanæ ; supererant quidem minimula fragmenta, sed vsui nostro parum consentanea. Hæc ne perirent fecit æterna memoria dignus Cardinalis Ioyeuseus, dedit ille Tolosanæ Prouinciæ Decreta, quibus regitur ; Hæc typis iussit mandari anno 1597. & in lucem aucta prodire anno 1605. At parùm Tersa, & Codicis vitio plerisque in locis interpolata. Sed tantum non perierant omnia exem-

plaria, & hinc Causidicis, magna disputandi seges, mihi que sacra scribendi libido, hoc acrior quod didiceram Dominum Chenutium Parisiensis Fori Patronum clariorem, in opere de Ecclesiasticis Galliæ Tribunalibus anno 1621. Parisiis edito, nostri iuris confudisse consuetudinem; dum pro stylo huiusce fori Capitulum 2. Partis 4. Concilij Prouincialis Tolosani sub eodem Cardinale habiti nobis exhibuit. Quia tamen noueram inconsultis Prælatiis nihil agendum, Peritissimo, Clarissimoque Domino de Marca mentem aperui, hanc probauit ille, hanc fouit, imo preces adiecit, imperia loquor, nec obsequium defugere potui tanti Præfulis. Hæc sunt, Amice Lector, de quibus te præmoneri duxi necessarium; opus habes non eloquentia comptum, sed ausim dicere vtilioribus notulis ditius, breuiter non indiligenter pertractatis, cum his manifestò euicerim decretorum istorum cum iure Pontificio, Cæsareoque, ac cum Iure nostro Gallicano, conformitatem, quo sic & firmitas

ſimul, & perennitas volumini accederet.
Nec tamen iſ ſum, qui quidquid à me, vel
incuria, vel inſcitia in hoc opere pecca-
rum eſt, laudari velim, aut taceri, qui
iam totum permiſi tuo iudicio. Vnum
rogo, Amice Lector, purus & integer, ad
hoc legendum accede, & ſat eſt.





Ad Clarissimum Virum Dominum SIMONEM DE PEYRONET, Sacræ Theologiæ Magistrum, Iuris vtriusque Doctorem, & in Prouincia Tolosana Iuridicum Prometropolitam, ob restitutas, doctisque illustratas notis, veteres Archiepiscopalis Prætorij formulas.

S *Acræ TOLOSANÆ debent edicta CAPELLÆ
Splendorem AVERERIO nominis atque decus.
At tibi Tectosagum merito Prouincia debet,
Quidquid iam fame, quidquid honoris habet;
Nam sine Te Sacri perussent iura Sënatus
Et foret antiqui formula nulla fori
Pontificum Decreta etiam sine viribus essent.
Iudicia & sine Te, nomen inane forent,
Iura fori sed quando tui, formasque reponis
Illustrasque notis; omnia restituis
Decretis siquidem vim, & robur legibus addens,
Iudicia illustras, sartaque tecta facis,
Auspice te, ergo suum repetet ius, sacra potestas
Et vocalis erit, quæ prope muta fuit.*

IACOBVS CAZANAVE Sacræ
Theologiæ Doctor, & Regius
in Academia Tolosana Professor.

IOANNES DVCASSE' IN IVRE
Canonico necnon in Sacra Theologia
Doctor, in hunc librum.

Sacras dum Leges, Decreta Styllumque forensē
In paruum video conglomerata Librum,
Non possum Authorem non appellare Timanthem
Qui Themidis pinxit tot monumenta breui
Hic namque iniustum veneranda Themis vetat; artes
Causidicūm prauas, ludiciūque dolos.
Verū parco metris, nam me decet esse Timanthem,
Quod mea tam eximium carmina vincat opus.

AD EVNDEM LIBRUM,

Iceler? *Æthereas aude volitare per auras*
Parue liber multum, cui sapis, ille sapit:
Perge, nec ad Ronchos paucas, iuuenesque senesque
Ride, si nasum Rhinocerotis habent.
Nam propior quem Phœbus amet, musæque parent;
Nec maiora vllus præmia laudis habet.
Fronteque dum præfers Angluri nomen, inane
Quid metuas, tanto vindice tutus eris.

IOANNES RAYMUNDVS SABAZAN Sacræ
Theologiæ Doctor, & Procurator Ec-
clesiæ Archiepiscopatu Tolosano.

IDEM AD CLARISS. VIRVM
DOM. DE PETRONET.

Tempus edax rerum, nostri quoque Iura Senatus
Delerat longâ sustuleratque die.
Tu reddis, doctosque liberos dum scribere nunquam
Cessas, Iure nouo nos facis esse tuos.

Ad eundem D. DE PEYRONET.

E De sacri Decreta fori, clarissime Rector;
Illustrata Notis ede sed illa iuis
Nec dubita similes cum sint hæ moribus, omnem
Censuram effugient, ut tua vita, notam.
Ingenuosa micat pietas, nec Legibus affert
Lumen iners; factis at facienda docet.
CLAVDIUS MALTRAICT Presb. Soc. IESV.

Ad DOMI. DE PEYRONET,

Iam antè Onomastici sanctorum; & Libri de iuuandis animis;
qui igne purgantur, Autorem, de omni Ecclesia
optimè meritum.

Nomenclatorem Te postquam Ecclesia Regnans
Patronum & Patiens Te videt esse suum
Hoc superest vnum, media ut quæ militat, arma;
Dum leges reddis, debeat ista Tibi.
PETRVS RODELL Presb. Soc. IESV

Ad Librum multò quàm antea, Elogiis præsertim Ar-
chipræfulum Tolosanorum, sanctorisque fori
Prætorum, auctorem.

Fama tibi melior, tibi fama perennior ibit,
Parue liber magnum nuper adeptus d. cus.
Nec tantum n. tidâ tu commendabere formâ
Materies pretium contulit ipsa nouum
Nec decor aut pretium tantum. reuerentia longè
Maxima, si nescis tam quoque parca tibi est
Præsides hinc multus, sacra quem regit Infula præsul;
Plurimus hinc prætor dat pia iura foro.
Nemo velit posthac iusti violare tenorem;
Cui modo tam multus, tam gravis vltior adest.
FRANCISCVS MANGOT, Presb. Soc. IESV.

IDEM AD AUCTOREM.

Qui opus in laudabiliorem formam redgit.

ECquis odorato rediit unus ab aggeie Phoenix
Ambrosium toto spargit ab ore iubar?
Cui situs, & senium, cui praua teredo nitorem
Abstulerat, cultu nunc meliorem micat,
Nec minere nouæ decus hoc memorabile formæ:
Hic cum sit Phoenix, est quoque solis opus.

IDEM AD EVMDEM LIBRVM

Illustrissimi Archipræsulis Patrocinium
ambientem.

DEsine parue liber. Nescis audacule nescis,
Quam cupias metam, vel quæ fastigia prensës,
CAROLVS hic ille est; quem gloria sanguinis æquat
Heroum generi. quem non virtutis aruita
Degenerem titulos miratur Gallia prisca
Amplificasse nouis. quem dudum duplicis ardens
Insula apex dignum Romano murice clamat.
Certatim natura suis, Fortunæque tantum
Ornauere virum donis. ac Regius Ulro
Pectus in hoc pronis sese fauor incitat alis;
Illic ut placida, sic tanquam in sede quiescat.
Sed tibi fas audere. In eo sint omnia quantum
Magna, tamen cunctis est vna modestia maior.
Et nulla plus ille cupit se laude probari,
Quam facili morum ingenio, studioque fanendi;
Siculi se virtus meritis præstantibus offert,
Adde quod eximio dignatur amore Parentem
Ille tuum, præbetque viri se laudibus æquum.

*Nec , te nulla adeo quâ demereare Patronum
Gratia commendat. Themidis tu iura verenda
Tulchrius instauras , instauratisque potentes
Adiucis Vliores ; ne quis temerarius ausit
Iam sanctos Equi deinceps conuellere fines
Tanti spera igitur (nec spe Ludæis inani)
Præsulis ad sacram te posse adrepere dextram ;
Cedat ut ambita tibi demum gloria palma,
Et veniat merces eadem , quæ meta labori.*

IN LIBRVM.

H VNC nec liuor edax maligniori
Rodet dente librum , sacrum fatetur
Maestitate operis , fatetur ipso
Dignum præfule , quem sibi Patronum
Legit , nomine splendido superbit
Fœlix pagina , temporumque victrix
Hinc s, erat merito perenne nomen.
Virtus vnde decus perenne captat.

IOANNES PETRVS CORRENT Presb.
Doctrinæ Christianæ.

Ad eundem D. DE PEYRONET.

T V sacra Themidos renouas fœliciter Vsum,
Atque hic si vigeat clarus illa , tuum est
Non labor hic vanus , Themis est ut funeris expers
Sic æterna tuum fama sequetur Opus.

IOANNES MAYRIN Prof. Squillanus.

AD AVTOREM.

QUAM fœlix liber hic , vix dum prodibat in auras
Vix incœptus erat , Præfule dignus erat
Præfule auspicio cœptus , perfectus alius
In lucem auspicio Præfule ecce venit
Huic geminum fulsit fidus , dum fingitur , illi
Dum venit in lucem Præfule uterque fauet
Hæc propter quæ me afflavit Dodonia quercus
Talia fatidicum reddere verba docet
Quæ lucubrasti pretiosa volumina , gessit
Dudum nostra suis Clio referre modis
Non fœcli vitio longos moritura per annos
Sed doctas inter vivere digna manus
Ac velut Heroes genus alto è sanguine diuum
Subiiciunt pedibus triftia iura necis.
Sic quibus exortum dedit ingens lumine Numen
Scriptis , grande decus , vita perennis erit.

HIERONYMVS DE PEYRONET
Aduocatus Autoris Frater.

AD EVNDEM.

DEsunctis primùm dederas monumenta laboris
Cum tua Cœlicolis cura parabat opus
At tibi ne magna laudis pars deforet vlla
Cœlituum myftas hîc fua iura doces
Te decoret trinis Ecclefia trina coronis
Codice qui trino præmia trina meres.

FR. ARNALDVS RIVIERE
Francifc. Autoris ex Sorore Nepos.



FRANCISCVS MISERATIONE
*diuina Cardinalis de Ioyosa,
 Archiepiscopus Tolosanus, om-
 nibus, quorum interest, Salutem
 & benedictionem in Domino
 sempiternam.*

C A P. I.

NE in controuersis dissol-
 uendis tantum temporis
 in posterum, vt moris erat
 frustra infumatur; Diœce-
 sani autem nostri ab infinitis penè
 sumptibus releuentur, plurimi abusus
 è medio tollantur: Curiaë nostri Of-
 ficialis veterem stilum seu praxim,
 quantum in nobis est, corrigentes, sta-


A



2 *De Officiali & eius Vicegerente, &c.*
tuimus & decernimus omnia quæ sequuntur.

Ad administrationem iurisdictionis nostri fori, necessarium inprimis esse duximus, nostros officarios ad hunc numerum redigere; ad vnum nempe Officialem, vnum illius Vicegerentem, vnum procuratorem fiscales, nisi ratio pro tempore suaserit plures instituere, substitutum vnicum, vnum procuratorem animarum, cum vno substituto; sex assessores seu consiliarios: duos scribas seu grafarios, vnum procuratorem ad promouendas causas; vnum sigillatorem; duos apparitores, seu lictores: vnum denique carceris custodem seu ianitorem.

VETEREM STYLVM.] Suorum nimirum decessorum, ac potissimum Ioannis à Cardalhaco, Patriarchæ Alexandrini, & Archiepiscopatus Tolosani Administratoris perpetui; qui anno 1380. statuta Curiarum Archiepiscopalium in vnum collegit & auxit corpus, hoc titulo, *Statuta Curiarum Civilis, Criminalium, Appellationum, & Matrimoniorum Archiepiscopatus Tolosani* & anno sequenti promulgauit, vt infra ex M. SS. Cod. annotamus in Bertrando.



de Noguareto eius Officiale. Nam ante eam, si con-
iectari licet, in nostro foro Ecclesiastico varus &
confusis agendi formulis in iudicium item fuit; qui-
bus deinde statutis nonnulli alij Archiepiscopi, &
præsertim Dionysius de Molendino anno 1426. &
Antonius Cardinalis a Meudon anno 1556. quædam
alia adicere: Sed omnium postremus Illustrissimus
Cardinalis noster à Ioyosa hanc operi manum admo-
uens, styllum hunc ut nunc deâuo in lucem prodit
accuratis concinnatum, ac meliori methodo, &
iari quo nunc in Gallia utimur conformiori adorna-
tum, vñ publico anno 1596. Typis excudi procu-
ravit.

*De Officiali & eius Vicegerente,
seu locum tenente.*

CAP. II.

Officialis erit Presbyter, in Theo-
logia, aut in iure canonico do-
ctor: debebitque coram nobis, aut
nostro Vicario generali fidei professio-
nem facere, & in Auditorio nostro iu-
ramentum in hoc casu solitum præ-
stare.

VICEOFFICIALIS siue Locum-
tenens, Procuratores tam fisci, quàm

4 *De Officiali & eius Vicegerente, &c.*
animarum eorúmque substituti, Asses-
sores seu Consiliarij, Promotor, Scri-
bæ, Sigillator, Apparitores, carce-
rísque custos, coram nostro Officiali,
pro Tribunali sedente, fidei profes-
sionem emittent, iuramentúmque de
officio benè administrando ex formula
præstabunt.

OFFICIALIS ERIT PRESBYTER.] Vti
sanctum fuit constitutione Blesensi art. 45. plu-
ribusque Senatusconsultis de quibus Pragmatici in
suis Arrestorum collectionibus. Maynardus tamen
Senatu Tolosano contrarium placuisse refert, lib.
2. singular. quæst. cap. 24. arresto lato anno 1587.
in fauorem Officialis Carcassonenfis, in minoribus
tantum ordinibus constituti. Quod equidem satis
mirari non possum, cum sit contra ordinationem
Regiam, iuxta quam supremos Galliae Magistratus,
instantibus etiam cognitoribus Regis, pluries pro-
nunciassent, Petrus Guenois in lib. 1. collat.
ordin. tit. 3. n. 68. Chopinus lib. 2. de sacra polit.
tit. 3. n. 10. Peleus lib. 4. actionum forensium cap.
27. & complures alij. Imo ipsam supremam Tolo-
satam curiam ita nuper iudicasse prodit Jacobus
Puymissen in forensibus act. 12. in quadam à Ma-
gistro Iacobo Daignier Officiali etiam Carcasso-
nensi seu ex abusu appellatione, placito lato 15. Maij
anno 1608. & quidem iure merito, cum sacerdotem
potius quam simplicem Clericum ius sibi dicentem,

libentius audiat Clenus; & iudicandi munus incorruptius ac sincerius obire tali charactere insignito, censendum sit. Nam vt recte Martianus Imperator in l. decernimus cod. de Episcopali audientia, in negotiis audiendis, fidem ac sinceritatē geminam præbent & sacerdos & iudex. Cæterum si Officialis Episcopi, qui sacerdos non sit, sententiam tulerit, & ab ea ad parlamentarias, vt vocant Curias, abusus ergo prouocatum sit, solet amplissimus ordo huiusmodi sententiam ratam habere, ob vtilitatem publicam & communem errorem. Officiali tamen iniungit, vt intra certum tempus ad sacri presbyteratus ordinem se promouere faciat; litterarumque suæ promotionis, Curia intra mensem fidem faciat, & eo vsque suo suspendit officio, prohibetque Episcopis ne de cætero in suos Iudices, tales assumant, qui sint sacerdotali charactere destituti.

In Theologia aut iure Canonico doctor.] Graduum requirit ordinatio Blesensis art. 45. Synodus vero Tridentina Sess. 24. de reformatione cap. 16. iubet vt Officialis, sit saltem in iure Canonico doctor, vel licentiatus, vel aliàs quantum fieri poterit idoneus: quibus vltimis Concilij verbis, præfataque regis sanctione innixi Curia nostræ Patres, me reclamante, solum Baccalaureatum in Theologia aut iure Canonico sufficere censuere, contra Curia nostræ stylum & decreta, idque in fauorem Officialis Lombardensis in causa Baronissæ de Maurens, & Magistri de saint Pierre dicti loci de Maurens Parrochi die 14. Nouemb. anno 1646. Domino de Richard Abbate S. Seueri, & Prouinciæ Tolosane Metropolitano dignissimo relatore, supremæ Curia patronis eò vocatus, calculum suum danubus; an

6 De Officiali & eius Vicegerente, &c.

rectè diiudicent alij . fanè nec solum Officialem sed & eius Vicarium seu Vicegerentē , in ciuitate Camberienfi , totiusque Sabaudiaë Prouincia Doctoratus dignitate insignitum esse debere scribit Antonius Faber lib. 1. cod. tit. 3. definit. 28. quia , inquit, iudicandi munere fungitur & de us plerumque rebus iudicandum habet , quæ magni momenti sunt , & difficilissimæ disceptationis vt putà de fœdere Matrimonij , & iure beneficiorum quoad pœtoriam causam attinet. Nec quòd us casibus possit ex assessorum sententia ius dicere , idoneam præbet excusationem , honestius enim est publicèque vultus , vt ea ipse sit ciuiditione præditus , quæ faciat ne in singula momenta assessorum auxilium implorare cogatur , tantoque grauioribus sumptibus litigatores onerare.

Fidei professionem facere.] De hac fidei professione vide Bullam Pij IV. summi Pontificis editam anno 1564. quæ extat tom. vlt. 12. Bullarj , vide etiam Concilium Tridentinum Sess. 24. de reformat. cap. 12. & 18. acta Mediolan. Eccles. lib. 1. cap. 1. vbi qui ad hanc fidei professionem emittendam teneantur sigillatim recensetur : formam vero dictæ professionis faciendæ ab ipso Pio IV. Pontifice præscriptam habes cap. 1. Prouincialis Synodi Tolosanaë habitæ anno 1590. & apud Quarantam in summa Bullarj V. *Fidei professio* & Piasceccium in praxi Episcopali , part. 2. cap. 5. num. 26.

Iuramentumque de officio bene administrando ex formula præstabunt.] Vti sacratum olim in iudicijs apud Romanos in quibus religio pimas partes habebat , iurabant autem se ex animi sententia iudicatuos ; iurabant in leges , Asconius in diuinat. in Verrem : subscriptione perfectâ iudices

iurabant in leges vt obstricti religione iudicarent. Ita apud Iurifconsultos sæpe *religio iudicis, religio præsidis*, l. 2. §. vlt. de excus. tutor. l. 1. c. si tutor vel curat. sic & apud Athenienses septem erant Archontes, qui cum Magistratum inirent iurare solebant se leges obseruatos neque passuros fidem suam donis corrumpi Iul. Pollux. lib. 8. Onomast.

De Procuratore Fiscali, Procuratore animarum, eorum substitutis ac Promotore.

CAP. III.

PROCURATOR fiscalis erit presbyter, in celebri vniuersitatis gradibus promotus, bonę honestęq; conuersationis, in criminum disquisitione, reorū accusatione, & in causis criminalib⁹ promouēdis valde diligens. Quę disquisitio ab ipso fiet, tum in vrbe, tum etiam in tota diœcesi: omnibus delegationibus & inquirendi facultatibus subscribet, antequam Officiali aut eius Vicegerenti offeratur, & in tabulas referet. Curabit etiam inquisitiones ad suam petitionem factas apud scribas deferri, vt distribuatur, & vt res postulauerit iudicetur. Quę quidem de eius substituto pari modo in-

8 *De Procur. fiscali, Procur. anim. &c.*

telligi debent, ita ut ab ipso disquisitio
tum in vrbe, tum etiam in tota Diœcesi
diligenter fiat de omnibus criminibus,
excessibus, & nostrorum Statutorum
transgressionibus, litesque quas inchoa-
uerit, prosequetur, tam in præsentia,
quàm in absentia ipsius Procuratoris,

D A B I T etiam operam strenuam &
efficacem, ut omnia edicta & decreta
nostra, de quacunq; causa pronuntiata,
obseruentur. Ut etiam sententiæ Offi-
cialis nostri, aut etiam Vicegerētis, exe-
cutioni mandentur, & testes in facie rei
obiiciendi aduocentur, & compareant
intra tempus definitum, præsertim parte
ciuili, aut accusatore proprio deficiente.

P R O C U R A T O R animarum, sum-
ma cum diligentia institutiones, fun-
dationes capellaniarum, præstimo-
niorum seu obituum, piasque defun-
ctorum donationes ac legata perqui-
ret, & executioni demandari in illis
contenta procurabit: poteritque ab-
sente Procuratore fiscali, eiûsque

substituto in criminibus requirere, quod iuris fuerit, & de illis suas conclusiones inire : Procuratore animarum similiter absente, erit procuratoris fiscalis, vel eius substituti curare, ut piæ in Christo dormientium voluntates, fundationes & legata suum fortiantur effectum.

PROCURATOR FISCALIS.] Hoc caput est de procuratore ipsius Tribunalis, & iurisdictionis Episcopi, quem idcirco Authore decisionum Capellæ Tolosanae quæst. 6 & quæst. 253, procuratorem spiritualem vocat; in quibusdam tribunalibus Episcoporum, præcipuè in Gallia, Promotor; in Capella Tolosana procurator Fiscalis nuncupatur, nomine penitus inuiso, regis & secularibus Magistratibus, utpote: qui Ecclesiam Fiscum non habere firmiter asseuerent. Hinc factum ut tempore Aufserij, qui iam laudatas Capellæ Tolosanae decisiones suis commentariis illustravit, Officiarij Regij Curia: Senescalli Tolosanae non Senatores Tolosani, uti perperam Chenutius in suis ad Stylum Bituricensem notis, adeo exosum habuerint nomen Procuratoris Fiscalis, in tribunalibus nostris à multis retro seculis frequentatum, ut Iudex maior Tolosæ prohibuerit Officiali, ne in posterum procuratorem Episcopi, fisci vocabulo vocitaret, ut refert idem Aufserius qu. 229. & 275. sed prouocatio facta ad supremam Curiam Senescalli cognitionem dire-

mit, finemque dilceprandi fecit adeò vt dicto procuratori Episcopi possessio stabilis & certa se dicendi procuratorem fiscalem remanserit. Et quidem merito; licet enim Baldus in l. 1. cod. de iure fisci, Ecclesiam fiscum non habere voluerit, & cum eo videatur sentire Panormitanus in cap. tuæ de pœnis; contrariam tamen sententiam communem esse, & vsu receptam approbarunt Felinus in cap. irrefragabili num. 11. vers. 4. Bartholus in l. item veniunt §. ait Senatus D. de petit. hered. Oldradus consil. 302. Cardinalis in Clement nolentes §. 1. quest. 3. de hæret. Mathæus de afflictis tract. de iure protomiseos §. est autem 9 num. 23. Covarruias lib. 2. variarum resolutionum cap. 9. num. 11. Ita quoque consent complures alij clari nominis Iurisperiti, quos ne notarum metas excedamus, consultò omittimus. At non tantum tot iuris interpretum autoritate nititur hæc sententia, sed & doctrina Glossæ in cap. quia diuersitatem, de concessionem præbendæ, quæ confirmatur ex dicta Clement. nolentes de hæreticis, & can. si quis 17. qu. 4. Licet autem in Gallia quantumvis tot authoribus fultam, moribus nostris haud fuisse receptam contendat Galli Scriptores; hanc tamen nec sacris Canonibus, nec Cæsareis ipsis constitutionibus, quæ nostra in Occitania etiam nunc vigent, imò nec Regum nostrorum ordinationibus aduersari, si nomen & natura fisci, nec non Canones qui pro ea citantur ad amissim expendantur, nos aliàs demonstraturos speramus. Quin imò & in nonnullis casibus, etiam nunc in regno Galliarum, id obtinere annotarunt iam pridem viri docti, inter quos eminet Ioannes Stephanus Duranti, Tolosani Senatus quondam Prin-

ceps, eruditione conspicuus, ac Tolosæ suæ decus & ornamentum perpetuum: is enim quæst. 102. num. 6. bonâ mobilia Clericorum quæ publicantur, ad Ecclesiæ fiscum etiam in Gallia pertinere, expressè asserit: Sic & Renatus Chopinus vir doctus lib. 3. de sacra polit. cap. 1. num. 3. supellectilem sacerdotis criminis damnari, non fisco Principis, sed fisco Episcopali, etiam apud Gallos committi, cum rebus cæteris mobilibus disertis verbis pronuntiat, sed de his nos alibi vberius.

Erit Presbyter.] Concil. Toletanum anno 1566. sub Pio V. celebratum act. 2. can. 11. *Fiscales ab Episcopis deputentur, qui vel sacerdotes sint, vel intra sex menses ad sacrum ordinem, intra annum ad sacerdotium promoveri possint, & promoveantur, alioqui ad usum proprii muneris non admittantur.* Idem habent aliæ Synodi Prouinciales quas videre licuit, vti Cæsaraugustana in Hispania tit. de procurat. & Turonensis in Gallia sub Gregorio XIII. tit. de iurisdictione, quæ omnes saltem in eo sacrum Subdiaconatus ordinem iure expectant; nam cum easpotissimum sint partes Clericorum flagitia accusare seu denuntiare, & Laicis sit interdictum Clericos accusare C. Laico, & C. sicut Sacerdotes xi. q. vii. huic muneri præfici non debet, qui non sit saltem in sacris ordinibus constitutus.

Bonæ honestæque conuersationis.] Concil. Prouin. Tolosanum anno 1590. part. 1. cap. 11. num. 5. *Officiarios, maxime verò officiales, & promotores, & m rum probate, & eruditione quoad fieri poterit, conspicuos habeant, hoc vnum saltem inspicient., ut tales sint, qui doctrinæ defectum si quis sit, vna integritate possint compensare.*

12 De Procur. fiscali, De Procur. anim. &c.

In criminum disquisitione.] Procuratoris enim fiscalis officio incumbit sollicitè agere, ut malis Presbyteris & Clericis tota Diœcesis careat; & si qua sint quæ correctione, & reformatione egeant, sedulo inuestigare, ac de omnibus criminibus siue publica illa sint, siue priuata, accusationes suas instituere, ut & ita vitia quàm citius purgentur, & cuncta in ordine contineantur. Istud ut facilius, promptius & efficacius exequeretur, exoptandum, nobis esset, ut postliminio, reuocaretur vetus illa Ecclesiæ πολιτεία quam primis Ecclesiæ nascentis temporibus, ab Episcopis obseruatam legimus, & in nonnullis prouinciis magno cum reipublicæ Christianæ bono etiam nunc vigere, & legimus & audimus: quilibet enim Episcopus in Synodo sua septem ex plebe suæ Parochiæ, pluresue prout expedire videbatur *honestiores, maturiores, atque veratiores viros*, ut loquitur Eutychianus Romanus Pontifex constituabat quasi observatores & custodes seu *ὑπαγῶντας* his quæ fierent dicerenturve, contra Dei voluntatem & rectam Christianitatem, ac Concilij Prouincialis decreta & iuramento adstringebantur se ex fide pro veritate quæcunque per Diœceses corrigenda & reformanda viderint, Diœcesanis Episcopis denuntiaturus; vti colligere licet ex Can. Episcopus in Synodo 35. quæst. 6. vbi formula sollemnis eorum iuramenti præscripta extat; & hi testes dicebantur Synodales, vel publici, quod in Synodo Prouinciali, & reciperentur, & probarentur, cap. præterea, de testibus cogendis apud Gregorium. Verùm cum testium Synodaliū plerisque in locis magno totius reipublicæ Christianæ dispendio vsus perierit in eorum locum Pro-

curatores fiscales suffectos nonnulli conieciarunt; quibus ut assentiamur adduci haud possumus, cum eorum Procuratorumque fiscalium distincta esse munia, ex variis Conciliorum Decretis facileprehendere liceat: qua de re præter antiquos Canones iam citatos videsis Concil. Lateran. 4. sub Innocentio tertio, habitum cap. 6. vide & constitutionem Concilij Toletani sub Sixto Papa 4. anno 1473. celebrati, quæ extat tomo quarto Conciliorum edit. Colonienfis; ac demum quæ circa testium Synodali munus & officium nuper edixit vir omni præconio dignus & veteris Ecclesiæ disciplinæ vindex acerrimus sanctus Carolus Borromæus in Concil. Mediolanen. 4. & 6.

Et inquirendi facultatibus subscribet antequam Officiali] Constit. Francisci I. 1539. art. 145.

Et in tabulas refert.] Constit. Francisci I. 1540. art. 5. & 6.

Dabit operam ut omnia edicta.] Idem in simili Regis cognitoribus præscriptum Regum nostrorum ordinationibus Caroli VIII. art. 86. Ludouici XII. 1507. art. 105. Francisci I. 1535. cap. 11. art. 20.

Et testes in facie rei obnucciendi,] Nec enim ferendus est Procurator fiscalis, aduersus aliquem prodire, si nullis testium sit fultus adminiculis, vel volucris iuroribus adductus. Hinc rectè Synodus Cæsaraugustana tit. de accusationibus. *Procurator fisci nostri seu suffraganeorum nostrorum nequaquam ad agendum, seu denunciandum, pretextu sui officij, contra aliquem admittatur donec proposita seu denunciata, credere esse vera, & se posse probare firmauerit iuramento, Cui similes sunt constitutiones Regum nostrorum; quibus cautum est ne Procuratores Regij occasione*

14 *De Procur. fiscali, De Procur. anim. &c.*

criminum, delictorum, seu excessuum, contra subditos placitationem seu delationem faciant, nisi præcedente informatione debitâ, & præcepto Iudicis competentis; Philippî VI. 1344. Caroli VI. 1408. Octavi 1490. Noni 1560. art. 73. Quare boni & prudentis Procuratoris fiscalis est, in criminibus occultis, non aliter ad delationem venire, quam si delatorem habeat, aut sit munitus sufficienti probatione, aut legitimis indicis, nisi velit poenam temeritatis subire, id est non solum expensarum solutione; sed aliâ poenâ iudicis arbitrio propter accusationis temerariæ calumniam puniri; ut definitum Concilio Toletano. aët. 2. cap. 12. refert Ignatius Lopes ad practicam Bernardi Dyas in *v. denuntio*, cap. 6. Et quidem meritò; consulendum est enim honori & famæ; nec in dubio Clerici, qui quasi signum sunt positi ad sagittam in discrimen famæ & exultationis adducendi sunt, cum semel læsa, relatione quantumvis honorabili, vix possit bene dilui ac purgari, nihil enim ad existimationem turpius, nihil ad dignitatem acerbius, quam Clericum intra reos deferri, præsertim si sit in dignitate positus, aut curam animarum habeat; Eleganter in hanc rem D. Optatus Milevitanus lib. 2. Schisim. *Quid prodisti quia vivunt homines, & occisi sunt honore? Valent quidem membris & erecta portant funera dignitatis*, ideo boni Iudicis est levitatem Procuratorum fiscalium compefcere, uti in Gallia sæpe factitatum docent placita supremarum Curiarum, relatâ à D. Scrivino Regio Patrono actionum forensium volumine 4. aliisque Arrestorum confarcinatoribus. Cæterum si de Procuratore fiscali, eiusque officio plura scire cupis, vide quæ circa eius mu-

nus ac officium sanciunt Concil. Mediolan. 5. sub S. Carolo Borromæo editum tit. de Procuratore fisci Episcopalis; Consule & Bernardum Dyas de Lugo Hispanum Episcopum in sua prædica criminali canonica, & ibi Ignatium Lopes de Salcedo in complutensi Academia, iuris Pontificij professionem primarium in commento, ubi quando & quomodo Procurator fiscalis sine delatore, Ecclesiasticum aliquem accusare possit eruditè pertractat. An verò & quibus casibus, Procurator fiscalis, qui lite cadit, in expensis damnari debeat, ac finito litigio reoque absoluto denunciatoris nomen edere compelli possit, perbellè tradunt Stephanus Aufserius, & Bertrandus Peyronet pater meus colendissimus, in suis ad decisionem sextam Capellæ Tolosane commentationibus, quam in huius operis calce apponendam duximus.

Procurator animarum.] De eo vide quæ habet Concilium Mediolan. 5. iam laudatum, ubi quid ab eo in hoc munere præstandum sit luculenter explicatur.

De Consiliarijs sine Assessõribus.

CAP. IV.

Illi ut plurimum erunt Ecclesiastici, ad gradus promoti, vitæ integræ, & honestæ conuersationis, de quorum vita, antequam admittantur, fiet dili-

gens perquisitio. Quo tempore autem ius dicet dictus Officialis, illi adesse debebunt, & Consilij illum iuuare, vbi res statim decidi poterit. Aliarum vero causarum distributio in æquales partes fiet (saluo præcipuo dicti Officialis, eiusque Vicegerentis) habita ratione temporis admissionis ad officia sua, vt quàm citissimè fieri poterit ius dicatur ac provideatur.

PORRO consiliariorum antiquior, auditioni causarum & consultationibus præerit, dummodo sit Ecclesiasticus, & eo casu quo contra dictum Officialem, eiusque Vicegerentem exceptiones iuris siue recusationes admitterentur, eandem, quam ille, in præsidendo, & ius dicendo auctoritatem habebit.

Illi vt plurimum erunt Ecclesiastici.] Rectè quidem; alienum enim videtur ab Ecclesiastica disciplina, vt Laici de negotijs Ecclesiasticis iudicium faciant can. bene quidem 96. dist. can. placuit 16. qu. 7. Imo Laici Ecclesiastica tractare negotia omnimodo prohibentur can. Decernimus 2. can. Quàto 3. de

de iudic. ipsisque causas spirituales neque committi, neque in ipsos compromitti posse explorati iuris est, cap. contingit 8. iuncta Glossa de arbitris. Quod si Metropolitanus Officialis, aut quavis alij iudices Ecclesiastici huiusmodi causas, quæ inter personas Ecclesiasticas ventilantur, seu in quibus ipsi Clerici reorum partes sustinent, Laicis hominibus demandant, appellationi tanquam ab abusu locum esse declaravit Senatus Tolosanus 20. Martij 1608. apud Laroche in sua Arrestorum collectione tit. 56. Arrest. 25. Consultus igitur agit Ecclesiasticus iudex si quones in eiusmodi causis definendis, Consiliarios seu Assessores sibi adscribendos iudicabit, eos è proprio Clero seligat, ut rectè sancit Concilium Hispalense 2. can. in nona 16. quæ. 7. & Stylus noster hoc nostro capite. Prophanis verò hominibus ea munia quæ iurisdictionis Ecclesiasticæ sunt non demandentur, quandiu ad hæc obeunda Clericorum copia non deerit: ecqui enim potius æquam gratuitamque iustitiam reddere possunt, quam qui non familiæ necessitatibus, non ratione liberorum ad lucri cupiditatem trahi debent ex eoque ad iniquitates quas amor nummi producit? & apud quos melius quàm apud Dei ministros, qui facilius de Dei timore sententiam legis veram promere debent, agi possunt causæ? ut appositè ad hanc rem Divus Ambrosius.

Ad gradus promoti.] Constit. Henrici II. 1551. art. 6.

De quorum vita fiet diligens inquisitio.] Constit. Blesensis art. 109. Molinensis art. 12.

Dummodo sit Ecclesiasticus.] Et meritò etenim si iudex laicus Clericum iudicare & damnare præ-

sumat, lex eum egisse nihil censeat, ex trita illa iuris regula, sententiam à non suo iudice laram vim non habere l. 1. & fin. c. si à non competente iudice can. at si Clerici de iudiciis extr. Quid dicendum foret, si in ipsa Ecclesia, in ipso Ecclesiastico foro, Laicus pro tribunali sedens, in sacerdotes, id est patres suos, & iudices sententiam ferret; certè cum Laicis obsequendi potius maneat necessitas, quàm authoritas imperandi can. non placuit 16. quæ. 7. eos in iudicandis Clericorum controuersis pro tribunali sedere sacri canones non permittunt: indecorum quippe autuant Vicarium Episcopi, Laicum esse; & sæculares in Ecclesia iudicare, cit. can. in nona 16. quæ. 7. & aliis quampluribus. Notandum tamen cum Felino & Decio in can. decernimus extr. de iudiciis, quamuis generaliter canonum regulis institutum sit, vsuque forensi curiarum spiritualium receptum, Laicos in nostris auditoris causarum auditioni, & consultationibus præesse non posse; pro Assessoribus tamen in iudiciis etiam spiritualibus licetè adhiberi, quidquid in contrarium sentiat, Geminianus in can. statutum 1. §. Assessorum de rescriptis in 6.

De Scriba siue Notario.

C A P. V.

SCribæ siue Notarij in audientia
Somnes altercationes & conclusio-

nes procuratorum litteris de verbo ad verbum exactè mandabunt, nihil penitus omittendo, sub graui poena illis infligenda, nec non rectè atque ordine facient & retinebunt apud se Regesta litium omnium, quæ fuerint adductæ in suum tabularium, inquisitionum etiam, quæ fuerint apud eosdem depositæ, necnon absolutio- num, quæ fuerint concessæ per prædictum Officialem seu Vicegerentem. Illis verò officio siue vita functis, rerum prædictarum acta, & regesta deponentur apud nos, vel apud successores in officio. Inde illis ad manus habituris, cum opus fuerit. Item hæredes defunctorum, quando nihil decretum fuerit per nos de legitimo successore, debebunt statim & sine vlla dilatione deponere apud Archiua nostra prædicta Regesta, libros memoriales & alia pertinentia ad ius nostrum & tabulam.

Q V I B V S scribis interdicatur &

prohibetur ne vllis libellis supplicibus quæ causæ cognitionem requirunt decernendo subscribant; neue decidant conuenta inter litigantes transacta, nullas denique nomine suo notabunt sententias, litteras executionis aliàsve censuras, absolutiones seu dispensationes, monitoria, breuia, actorum libros, aut litteras vllas quacunque illæ sint; nisi prius subscripserit noster Officialis siue eius Vicegerens, sub pœna falsitatis: exceptis tamē litteris citationis in causis ciuilibus.

V N I C E etiam inhihetur quicquam accipere pro actibus, perscriptionibus atque expeditionibus factis, præter prætium illis constitutum, vel etiam permittent, vt ab eorum substitutis, aut scriptoribus quicquam à clientibus, etiam sponte oblatum, accipiat, sub pœna concussionis.

V T autem dicti substituti & scriptores expeditionibus actorum operam dare queant, absque vlla mercede,

exigenda ; tenebuntur dicti scribæ tertiam partem prætij singulis actibus constituti, ipsis erogare; ea tamen lege ne dicti substituti chartam & attramentum suppeditent, nisi dicti scribæ malint ipsos propriis sumptibus alere & remunerare.

IN SUPER prædictis Notariis prohibetur, in expeditione processus currentis, vllas litigationes seu alterationes aduocatorum (quas dietas vocant) inutiles ac superfluas confingere, & superaddere, sub pœna prædicta.

ITEM caueant scribæ, ne quam mercedem accipiant pro dilatione processus, inter manus relatoris, sub eadem pœna.

DABITVR illis formula tabularum & omnium actorum, ad quorum exemplar reliqua omnia perscribant, & expediant, eadem formula & terminis seruatis.

EXAMINABVNTVR inposse-

rum ab iis quos ad id deputarit noster Officialis, antequam ad Officium scribarum admittantur : in præsentia verò examinabuntur ij omnes qui tenent & exercent ipsum officium loco proprietariorum , qui quidem proprietarij intra vnum mensem debebunt exhibere homines capaces & bene audientes.

N V L L V S item poterit tenere & exercere duo tabularia , Officialis nimirum & Metropolitani. Quare iniungimus illis , qui habent duo , vt intra vnum mensem eligant atque exerceant illud , quod maluerint ; aliud verò relinquunt , sub pæna priuationis aut suspensionis ab eo quod Officialis est. *Nisi dispensentur.*

S C R I B A.] Scriptor dicitur ab Honorio III. cap. cum dilect. fil. de Clericis non resid. & in l. si tibi c. de pignor. cum glossa l. si tibi §. fin autem C. de confer. manu. Apud Romanos scriba ; M. Tullius in orat. pro domo sua. *Scribae qui nobiscum in rationibus , monumentisque publicis versantur.* Græcis *γερραρις* dictus , & *γερραρ* , Graecius

seu Grapharius supra vulgo *Greffier*. Notarius verò à notis literarum : Notas autem hic appellamus scripturæ quædam compendia , ad acta celerius excipienda adinuenta : quæ notæ , Seruio teste , non tam literæ erant , quam signa literarum , aut si literæ , singulariæ tantum siue coagmentis syllabarum , vt ait Gellius lib. 17. cap. 9. Has seò tempore. Siglas vocatas fuisse scribit Iustinianus in Græca Pandectarum authoritate : notorias etiam , vel notarias in iure : & à Diuo Augustino Epist. 159. 160. & alus locis inbreuiaturas , seu abbreviaturas alij vocant , & inde qui per notas & compendia dicta , actaue excipiebant nota ij dicti singularij , siue siglarij. S. Augustinus de doctrina Christiana lib. 11. cap. 26. *ex eo genere sunt etiam notæ , quas qui didicerunt propriè iam notarij appellantur.* Glossæ notarius , *πρόγραφο* , *velox scriptor* : Suidæ *νοτάριος* , *ἐπίγραφο* , quasi dicas exceptorem ; iterum Glossæ *notarius* , *σημειογράφος* , *qui per signa scribit* ; de quo Modestinus in l. 13. de excusat. tutor. *Præpetum notarum* dicitur ab Aufonio , apud quem etiam extat epigraphæ ad notarium velocissimè scribentem. Manilius verò lib. 4. hunc ita exprimit.

Hic & scriptor erit felix , cui litera verbum est ,

Quique notis linguam superet , cursumque loquentis ,

Excipiens longas noua per compendia voces.

Tales olim erant notarij , qui gesta Martyrum ob sanctiam Imperatorum clam & furrim notis tantum & signis excipere poterant , testamenta etiam primitus ita fiebant , quod postea vetitū , & fieri cœperunt *ἐλογεῖσθαι* exceptis militibus , vt est in l. Lucius de militari testamento , Ita quoque excipiebantur Iuul-

consultorum responsa, & Imperatorum edicta atque rescripta; quod vetuit Iustinianus, vt annotauit Cuiacius obseruatione vltima lib. 12. quin & relationes ita fiebant, quæ per epistolas ad iudices de criminibus commissis per breues notas, & literas singulares trans mittebantur, & dicuntur clogia, de quibus in l. 7. c. de accusat. l. diuus, & l. non dubium, de custodia reorum. Sed de his satis; ne dum de notis verba facimus notarum metas excedamus.

Sub graui pœna illis infligenda.] Quo casu etiam in Laicos distringi potest, si de delictis per ipsos in officio commissis quæstio est, vt notat Stephanus Aufreerius in repetit. Clement. 1. de potestate Ecclesiastica super Laicos casu 25. Multa enim licent in consequentiam, quæ principaliter non licent, & directio, l. 1. l. quod dicimus 7. ff. de auth. & constit. tutorum. Sic iudex Laicus potest Clericum, pœnali iudicio condemnare, iurisdictionis suæ tuendæ causâ: vide Anzon. Fabium in suo c. lib. 3. tit. 12. defin. 16.

Facient & retinebunt apud se regesta omnium litium.] Constit. Ludouici XII. 1498. art. 129. & 1510. art. 20. Francisci I. cap. 19. art. 4. & 5.

Illis verò officio siue vita functis.] Idem cautum Concil. Mediol. 3. sub S. Carolo tit. de iis quæ ad Episcopale forum pertinent.

Vel apud successores in officio.] Vide in simili Constit. Francisci I. ann. 1540. art. 31.

Libros memoriales.] Eos scilicet in quos raptim acta reponuntur, vt deinde in mundum redigantur, & vt ait D. Hieronymus aduersus Rufinum ad purum digerantur, & perfectius extendantur in foro

ſæculari vulgò , *le plumetif* , dicitur.

Ne ullis libellis ſupplicibus quæ cauſæ , &c.] D. Conſtit. Caroli VIII. art. 103. Ludouici XII. 1570. Bleſis menſe Nouembri art. 150. Franciſci I. 1535. cap. 1. art. 21.

Præter pretium illis conſtitutum.] Quod vtrique iuri conſonum eſt can. militare 23. quæ 1. Nouell. Iuſtinia. VIII. cap. 6. & Nouell. cxxiv. cap. 3. ac Regum noſtrorum ſanctionibus Franciſci I. ann. 1540. art. 21. Caroli IX. 1560. in Comitibus Aurelianenſibus art. 77. & Henrici III. 1579. in Comitibus Bleſenſibus art. 160. ex quibus deſumpta videntur quæ hac habentur ſicuti ea quæ poſtmodum hac de re ſanciuſt Concil. Prouinc. Tolosanum ſupra laudatum part. 4. cap. 2. num. 13. & 14. de quo nos infra ad cap. 15.

Etiã ſponte oblatum.] D. Conſtit. Aurelianenſi art. 77. & Bleſenſi art. 160. ac legibus proximè citatis , vide in ſimili ordinauones Franciſci I. ann. 1539. art. 184. & 188. Caroli IX. in iſdem Comitibus Aurelian. art. 43. & Henrici III. in Comitibus Bleſenſibus art. 20.

Sub pœna concuſſionis.] Concuſſionis pœna quæ fit vide Gloſſ. & Cardin. in Clementin. II. de hæreticis , quando verò quis teneatur pœna concuſſionis vide ſpeculat. tit. de executore verſ. ſed nunquid tenetur , & in tit. de ſalar. §. 1. verſ. ſed quid ſi delegatus. Concutere verò dicitur is , qui alicuius poſteſtatis terrore putà iudicis , aut magiſtratus , alicuiusve , pecuniam alicui per vim extorquet : ſed & qui ratione officij ultra ſalarium conſtitutum aliquid illicite exigat , ſic enim accipitur in can. militare 23. quæ. 1. l. illicita §. 5. ff. illicita de offic. præſidis

l. 1. & 2. de concuss. & notatur in can. paratus in ult. Gloss. 23. quæst. 1. Cæterum iure Canonico iudex concussor puniatur vt calumniator per C. militare 23. quæ. 1. sed iure nouo plectitur pœnis de quibus in cap. cum aterni de Senten. & re iudic. in 6.

Quod quidem pretium Notarij scribent ad finem suarum præscriptionum & expeditionum.] Idem constit. Ludouici XII. 1498. art. 68. & 1507. art. 155. Francisci I. 1540. art. 21. Caroli IX. 1560. in Com. Aurelian. art. 80. sub finem & 1573. Ruscinone art. 34. & Henrici III. 1579. in Comitibus Blesensibus art. 159.

Tenebuntur dicti scribæ.] D. Constit. Francisci I. ann. 1540. art. 21. & Caroli IX. In Comitibus Aurelianensibus art. 77.

Examinabuntur.] Cum ex eorum imperitia plurima damna, & multarum occasio litium oriatur, vide quæ hac de re cautè prouidit Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 10. de reformat. & Concil. Mediol. 1. sub S. Carolo tit. de notarijs & scribis; & Concil. Mediol. 4. sub eodem S. Carolo parte 3. tit. de foro Episcopali.

Duo Tabularia.] Constit. Francisci I. 1535. cap. 18. art. 12. cui suffragantur posteriores Regum nostrorum Constitutiones quibus duo officia ab vno & eodem possideri vetitum fuit Aurelianensi quidem art. 31. 66. & 113. Blesensi verò art. 267. & 269. quod sanè congruit cum iuri Canonico tum Ciuili C. ad hæc 13. C. præterea 14. de præbend. & dignit. extr. l. 14. C. de adfessor. domest. & Cancell. iudic. l. 10. de proxim. sacr. Scunior. & L. V. C. qui milit. poss. vel non.

Vt intra vnum mensem eligant, &c. aliud verò relinquant, &c.] Similis constitutio apud Iustinianum in D. L. V. C. qui mil. poss. vel non cuius hæc sunt verba, *his quidem quibus indultum hætenus demonstratur, quo binis aut ternis, pluribusque mereantur singulis non coniunctis ex priuata consuetudine, sed absæctis atque discrepantibus, deitur electio quem retinendum sibi potius censeant, quem deserendum cognoscant, ut in eo quod optauerint, firmiter maneant eo quod despexerint sine dubitatione repellantur, In post rum verò nemini prorsus facultas pateat eodem tempore plusquam vnus ordinis nomen affectare interdicens in commune cunctis (ut dictum est) binis, pluribusve militibus, &c.*

De Sigillatore.

CAP. VI.

Sigillator debebit rectè & fideliter Sexplere munus sibi delatum, & secundum illud, domi adesse assiduus: neque poterit sigillare sententias vllas, monitiones, commissiones, aut decreta vlla, nisi illis prius subscripserit noster Officialis, aut Vicegerens, prout vniuscuiusque officij interest.

Nisi illis prius subscripserit.] Rectè cum per sigilli appositionem Officialis subscriptio, siue Chirographum approbetur, & sigillum possit adhiberi fraude interdum conquesta l. 2. C. de reb. alien. non alienandis, & l. ult. plus valere quod agitur. Hinc rectè Synodus Tolosana habita sub Ioanne d'Orleans Cardinale de Longueville, & Archiepiscopo Tolosano, prohibuit omnibus literarum seu mandatorum Episcoporum Executoribus, ne ea exequantur, nisi sint sigillis Archiepiscopatus, vel Curiarum spiritualium munita, eaque viderint & inspexerint, l. si eam. cap. 19. Quo verò sigillo imprimendæ sint, iudiciorum causarumque forensium expeditiones, explicat Concil. Mediol. 4. iam citatum, parte 3. de foro Episcopali, Ecclesiasticove.

De janitore carceris.

CAP. VII.

Ianitor carceris reos bene excipi, fidei ac tutis custodiis asseruari curabit, sibi interdictâ nimîâ erga illos severitate. Diebus verò quibus iudicium redditur aderit ipse ad portam Curiae, quam bene mundam & præparatam asseruabit.

IANITOR carceris.] Qui *carcerarius* dicitur
 Autori decisionum Capellæ Tolosanae quæst. 399.
 Alijs *carcerum præfectus*, seu *custos claustrorum magister*
 Cassiodoro sub libri. 11. finem, *vincitorum dominus*,
 Manilio lib. 4. *clauicularius*, Firmico lib. 3. cap. 6.
 vel *clauarius*, de quo vir magnus Cuiacius noster ad
 l. 1. C. de excusationibus artificum. Hic porro
 carceris ianitor Gallicè dici solet *Geollur* à *Gabiola*,
 quæ diminuta vox, à *Gabia*; quæ voces in veteri
 Glossario leguntur, & in charta Theobaldi Regis
 Nauarræ & Campaniæ Comitibus apud Petrum Pi-
 thæum; quin & apud Gallos *tourrier* olim dictum
 constat; quod in turribus custodias, & incarceratos
 custodiret; & *Clepien* à cippo & catenis, quibus in-
 terdum tenentur vineti. hanc *chepage*, quæda *geole*,
 dicitur; Commentariensem appellat lex quarta, &
 vltima C. de custodia reorum, quod in commen-
 tarium custodias refertot, id est nomina eorum qui
 carcere continebantur. Is verò commentarius vt
 aduertit idem Cuiacius, à Gallis in ordipationibus
 Regis vocatur *L'esroue naed*, ou *exapber*; quod est
contrudere vel conuicere in carcerem. Vulgus *Francocel-*
tarum, notante Scaligero ianicularium vocat, &
conseruum, seu *conseruium*, *Conserge*. Sed de voce
 hac satis; quod verò ad eius officium attinet, pau-
 cis perstringit stylus noster: Quod si plura scire cu-
 pis, videsis quæ S. Carolus Borromæus præ, san. æque
 constituit in Concilio Mediolanensi primo tit. de
 carceris custodibus, ac reis, & quæ in Regum no-
 strorum constitutionibus habentur apud Petrum le
 Guenois, lib. 9. collationis tit. 4.

Fidis ac tutis custodijs abseruari.] Columellâ lib.
 1. nam illa solennia sunt omnibus circumspiciendis vt erga-

30 *De Apparitoribus siue carceris.*

*fuli mancipia recognoscant, ut explorent, an diligenter
vineta sint, an ipsa sedes custodiae satis tuta munitaque
sint, appositè Concilium Prouinc. Tolosanum ann.
1590. parte 4. cap. 2. num. 16. Episcopatum carcerum
custodiae, eos suffraganei praeficiant, quos ad omne minus
paratissimos, vigilantissimosque, & Verò pietate chari-
tateque commendabiles nouerint; quique ut sint qui, &
eorum commoditati, & Curiae securitati consulant. Pot-
rò si plura de carcerum Episcopatum custodibus
desideras, consule quae circa eorum munus statuit S.
Carolus Borrom. l. 5. act. Mediol. Eccl.*

De Apparitoribus siue ostiariis.

CAP. VIII.

HI debebunt confestim pro foribus
Auditorij adesse, quibus diebus
ius diceretur, & officiali inferuire, ci-
tationes partium scripto fideliter exhi-
bere (ni compareant) sua manu sub-
scriptas, dato prius exemplari illi par-
ti cui significatae fuerint, contenti-
que esse debebunt sibi paulò infra as-
signata mercede, sub concussionis
poena.

DE Apparitoribus.] Apparitores sunt iudicum ministri, sed præcipuè qui homines in ius vocant, vulgò *Huissiers ou sergens*; & hi quoniam iudicum & magistratuum decreta & iussa deferunt, & exsequuntur, variè appellati sunt in iure: aliquando *missi*, vt extra de immunit. Eccles. cap. ii. quandoque *nuntij* cap. prudentiam, extra de offic. delegat. & cap. cum parati, de appellat. aliàs *officialis*, 4. quæ. 4. §. aliquando in principio, & cap. de accusat. l. ea quidem; aliàs *executores*, vt l. i. & 2. C. de sportulis & sumptibus, aliàs *ministri*, vt 23. quæ. 5. cap. si homicidæ, cum ministri eod. alias *Casariani*, siue *Catholici*, vt C. de bon. proscrip. l. penult. in fine: aliàs *cursores*, aliàs *viatores* à viando, id est, iter faciendo, quandoque *apparitores*, vt can. tua. prope finem, extra de homicid. & lib. 12. Cod. qui ex eo nomen inuenisse videntur, quod Magistratui appareant, ac presto sint, obsequanturque, ideoque rectè *ostiarj* nuncupantur, vt hic in stylo nostro, cum ad eorum officium spectet pro foribus auditorij adesse quibus diebus, ius dicitur, vt Officialis iussa accipiant, ac exequantur, foresque aperiant, vnde *Huissiers* Gallicè dicti, ab ostio quod Gallis *huis*, Italis *uscio* *seruantes* vocat stylus antiquus, ac Synodus Tolosana sub Ioanne d'Orleans Archiepiscopo cap. 20.

Pro foribus Auditorij. Auditorium hic locum intellige, in quo sit iudicum conuentus ad Ecclesiasticas audiendas & finiendas causas, sic enim appellatur in C. Romana in princip. de appellat. in 6. Tribunal, prætorium, ius, iudicium, forus siue forum aliis iuris locis. Consistorium quoque in D. can. Ro-

32 De Apparitoribus siue carceribus.

mana, & Secretarium à Seuero Sulpitio lib. 3. vitæ S. Martini; à Græcis σύνκρητον in Epistola patrum Concilij Antiocheni aduersus Paulum Samozateum. Qua significatione, quod, ad Civile forum attinget, hanc vocem vsurpatam lego in l. ult. C. de off. diu. iud. & in l. ult. C. vbi Senat. vel Clariss. vnum porro hic annotare superuacaneum non erit eos ad vim & vsum harum vocum non satis attendisse, qui secretarium pro quolibet loco seu Tribunali in quo Iudices causas audiunt & cognoscunt indiscriminatim accipiendum putarunt. Nam loca esse distincta satis innuunt Patres in Epistola iam citata vbi Tribunal distinguitur à Secretario, quod adeo verum est vt hic locus sæpius velo separaretur à Tribunali, ex eoque Præses ad Tribunal se conferret pronuntiaturus quid interius de iudicium sententia foret decretum. Huc etiam rei arcescebantur vt à iudicibus examinarentur Ado in Martyrol. prid. id Augusti de S. Fuplo Diacono & Martyre: *Cum esset extra Velum secretarij, intromissus est, iubente Calusiano Consulari, in auditorium.* Ex quibus confice quod licet omne secretarium sit Auditorium, non tamen è contra cum Secretarium sit Auditorium priuatum, & quasi in secessu, quod nos Gallicè effecerimus, *le Bureau, ou la Chambre du Conseil*, Auditorium verò communiori acceptione dicat publicam lucem & audientiam.

Dato prius exemplari.] Ne reus cui defensionis onus incumbit, die diuensa & præscripta, incertus de re petita obmutescat, & in eremodiciu incidat, cap. præterea 2. de dilat. cap. contingat 24. de rescript. extra can. causam 3. de elect. in Clement. ibique Gloss. Item Constit. Francisci I. ann. 1539.

art. 22. idque etiam si à reo sibi exhiberi non petatur, ut liquidò constat ex textu d. l. x. Constit. Francisci I. contra sententiàm Rotæ, Felini, Ripensis, & aliorum, idque partis quæ prosequitur expensis, ex iam citatis iuribus: aliàs sui copiam facere non tenetur, qui in ius vocatur; ut notat Constantinus hic, quod si plures in ius vocantur, omnibus mandati exemplar dandum argum. legis, sed si plures l. 3. ff. qui satis dare cogant l. 3. ff. ut legator. aut fidei commiss.

De patronis & procuratoribus.

CAP. IX.

QVoniam vero patroni & procuratores damnum partibus illatum, ob negligentiam in utroque foro tenentur, idcirco curabunt diligenter rem, de qua agitur, ut se habet à partibus inquirere & explorare, ac explorata in iudicio perspicere, & ad amussim exponere, ut à iudice perspecta extemplo iudicari queat, nullasque dilationes superfluas, sub actore petendi instructiones, à suis partibus ex-

34 *De patronis & procuratoribus.*

postulent, vnde inutiles frustratoriarum expensarum dictis partibus confurgant.

N E C N O N dictis patronis iniungitur deferre nostro officiali & procuratori fiscali, si quid à scribis aut eorum substitutis, contra nostra huiusmodi decreta factum omissum, seu attentatum fuerit.

D E N I Q U E in suis altercationibus, tam in iudicio & audientia, quàm scriptis dandis, omnem modestiam & decorum servare teneantur.

N E M O ad postulandum in hoc auditorio causarum admittatur, nisi in gradibus fuerit promotus, habitu decenti ornatus, iuramento de fidei causarum defensione agenda scripto munitus, & denique fundamentis optimis nixus patrocinium causæ susceperit, sub poena expensarum & interesse subeundarum: debebunt etiam antequam audiantur pro partibus sibi inuicem communicare scripta hinc inde producta & concordare de facto. In

causis subinde iudicandis, & demum
in causis ad consilium reiectis, inuen-
tariis confectis, respectuè sibi inuicem
productiones communicare.

O B negligentiam in utroque foro tenentur.]
Arg. 1. idem iuris §. 1. ff. ad l. aquil. cui communi
calculo suffragantur iuris utriusque Interpretes, Ho-
stiensis, Panormitanus, Antonius de Butrio, Baldus,
Ioannes Faber, omnesque qui de Theologia morali
seu casibus ut vocant, conscientiarum, conscripserunt,
Syluester, Caeteranus, Sotus, Nauarrus, Arago-
nius, Lessius, alique, & merito, cum si quid in
officio negligenter actum fuerit, culpæ adscribatur,
l. si quos iudices C. de offic. præfecti prætor.
Orient. & Illyrici; negligentia etenim & delictum
aliquando æquiparantur, ut in cap. Ecclesiæ, de
suppl. neglig. prælat. in 6. & ibi Glossa in v. *perpe-
ram*, ubi negligentia & delictum eundem operan-
tur effectum. Huc pertinet canon nemo 2. de con-
sec. dist. 1. ubi negligentia ut factum punitur sicuti
notat ibi glossa in v. *negligenter* atque istud quidem
iure, sicut enim diligens laudari, & præmiis affici,
fit contra damnari & pœnis affici negligens debet,
l. pupillus in fine ff. de his quæ in fraud. Unde non
malè Solon lege lata sancivit negligentes mulctan-
dos, vii refert. Plutarchus in eius vitâ; huc spectat
quod apud Romanos lege censoria cautum fuit,
pœnis feriendos esse qui minus diligenter agros co-
luisent suos, sicuti aulus Gellius scriptum reliquit
lib. 4. nocturnæ aduc. cap. 12. imò & ipsum iudicem

36 *De patronis & procuratoribus.*

ob negligentiam ab officio suo aliquando remoueri annotant DD. iuxta ult. l. vbi Gloss. & Baldus de custodia reorum & d. l. si quos iudices C.

[Et ad amussim exponere.] Id est ve è, candidè ac sine fūco : in aduocato etenim elucescere debet in primis amor veritatis, nam si ex mendacio lucrum faciat, inelamandum quod ait Diuus Augustinus epist. 54. *reddere quod accepisti, quando contra veritatem stetit, iniquitati adiunxisti, iudicem fefellisti; iustam causam oppressisti; de falsitate vicisti* quàm luculenter profectò hac de re Franciscus Patritius lib. 3. instit. reipub. cum de officio aduocati differit, agant, inquit, causas Patroni viri optimi, iurisque periti qui nihil astutè, nihil dolo committant, sed omnia verè loquantur sitque illis mendacium non impunitum, nihil enim in republica tam incorruptum esse debet, quam iudicium, quod quidem sa pius lingua, quàm pecunia corrumpitur; vnde eleganter se non intelligere Cicero dicebat, cur qui iudicem pecunia corrumpit, poena dignus sit; qui vero eloquentià, laudem ferat: mihi quidem hoc plus mali facere videtur, qui oratione, quàm qui pretio iudicem corrumpit: quia pecunià corrumpere prudentem nemo potest; dicendo autem potest: hinc rectè faciurum iudicem existimamus, si inanes quasdam disputationes causidicorum, & pugnas verborum, quæ magis ad obtruendam quàm ad inueniendam veritatem proficiunt amputauerit. Hac ipsa de re eleganter Diuus Bernardus de considerat ad Eugenium, vbi nonnulla habes ad officium aduocatorum spectantia.

Nullasque dilationes superfluas.] Ne ita lites protrahantur, & *ut vis morborum pretia medentibus, sic & fons tabes pretium aduocatus asserat*; atque ita de ipsis

dici possit, quæ de sui sæculi causidicis querebatur Petrus Blesensis, epist. 26. *hodie, inquit, soli auaritie militant patroni causarum, illudque quondam venerabile nomen & gloriosa professio advocati, notabili venalitate vilescit, dum in ser & perditus, linguam vendit, & in capturam pecunia pedicis & retacula tendens, iura omnia intervertit.* Num verò liceat advocato qui iustam causam fouet, in iudicio dilationibus, calumniis, doloue (nam & hic bonus esse potest) ingenuè uti, ad effugiendas alterius qui ex aduerso litigat, calumnias, technas, vel fucos, quos iudici obicere studet, fusè explicuant Tiraquellus Couarruias aliique.

In altercationibus omnem modestiam & decorum seruare teneantur.] ne sellularijs quæstibus infecti; ut loquitur Ammianus, cum ad inopiam venerint allegationum, ad effrænatam desistant conuiciandi licentiam, quod ipsis prohibet lex 6. C. de postulando ac Regia constit. Caroli VII. 1453. art. 61. Hunc non inconcinne Aufrenerius noster in stylo Parlamenti, inter præclaras advocati dotes has potissimum desiderat, gestum maturum, vultum lætum, moderatam humanitatem, curialem formam, itæ temperamentum. Nec enim, ut rectè inquit Cicero lib. 1. de Oratore, Causidicum nescio quem proclamatorem aut rabulam hoc sermone nostro conquirimus. hac de re legendus Plato in Epimenide, & lib. 11. de legibus, & Ammianus, Marcellinus lib. 30. laude dignus, certè causarum Patronus, de quo dici potest quod ait Cassiodorus lib. 5. Epist. 40. *ori tuo altercantium desideria conuenerunt & quod difficillimum genus gratia est, alterna parti indiscreta laude placuisti.*

38 De patronis & procuratoribus.

Nisi in gradibus fuerit promotus.] Iuxta Constit. Francisci I. 1519. art. 18. & 1535, cap. 4. art. 1.

Habitu decenti ornatus.] Vt dudum sancitum legimus Francisci I. constitutione an. 1546. art. 30. & ante notauerat speculator cum de aduocatis; nec enim adstare decet in conspectu iudicis causarum patronum nisi decenter ornatum, ac veste talari indurum, nam si ex vestium habitu & genere distinguatur vitæ cuiusque professio l. item apud Labeonem §. si quis virginēs ff. de iniuriis l. minæ C. de Episcopali audient l. si quis ignorat ff. loca. Multo magis togatæ militæ viros, suo decenti amictu comptos, ornatosque esse oportet, vt à popularibus internoscantur. Hinc scitè Polybius lib. 6. appellat eorum vestes *ἐξάμεις* id est, aliam & diuersam ab aliis personam indicantes. Antoninus vero Imperator lib. x. de vita sua, *συναρμόδιος* vocat, id est dignitatem, seu vt loquimur qualitatē hominis signantes.

Iuramento de fideli causarum defensione] Quod præstari à causarum patronis antequam suo munere fungantur etiam in sæcularibus tribunalibus iubent Regiæ constitutiones Francisci I. supra citatæ an. 1519. art. 18. & 1535 cap. 4. art. 1. Quibus suffragantur ciuiles sanctiones apud Iustinianum in l. rem non nouam C. de iudiciis & l. cum iudices eod. de iurjurando propt. calumn. §. 1. versic. vtriusque vbi forma huiusce iuramenti præscripta extat. Iurare autem potissimum habent, vt ibi dicitur, quod omni quidem virtute sua omni que ope, quod verum & iustum existimauerint, clientibus suis inferre procurabunt, nihil studi; relinquentes, quod sibi possibile est; non autem credita sibi causa cognita quod im-

proba sit, vel penitus desperata, & ex mendacibus allegationibus composita, ipsi scientes prudentesque mala conscientia liti patrociniabuntur: sed & si certamine præcedente aliquid tale sibi cognitum fuerit, à causa recedent, ab huiusmodi comunione sese penitus separantes. Cui quod ad forum nostrum attinet consentanea sunt quæ statuere Patres Concilij Mediol. I. sub S. Carolo celebrati tit. de causidicis cuius verba hic referre lubet, *causidici, aduocati, fiscales, ad causas in foro Episcopi ne adhibeantur priusquam iurando se Episcopo obstrinxerint, se nullam causam suscepturos, quam à iustitia, & aequitate alienam existimauerint* contrauentibus poenam indicit Concil. Mediol. 3. tit. de iis quæ ad Episcopale forum pertinent, his verbis. *Procurator, qui causam iniquam in foro Ecclesiastico sciens deffenderit, quive quicquam negauerit, quod verum scierit, fori Ecclesiastici auditorio adiuncte interdicatur, nisi is legitime se purgarit.*

Fundamentis optimis nixus patrocinium causæ suscepit.) Neque verò pudor obstat, vt eleganter Quintilianus lib. 12. cap. 7. quominus susceptam, cum melior videretur, litem, cognita inter discipandum iniquitate, dimittat, cum prius litigatorum dixerit verum, vt supra annotauimus ex D. l. rem non nouam C. de iudicis, nam & in hoc maximum si æqui iudices sumus, beneficium est, vt non fallamus vana spe litigantes. Hinc rectè idem sanctus Carolus Borromæus Concilio Mediolanensi quinto, cum de procuratore fisci Episcopalis, *ne vllam criminis causam suscipiat, procuret de, quam, calumniosam esse nouerit, sed cum de calumnia, vel rei delati innocentia constiterit, statim ab ea causa desistat.*

Sub pœna expensarum & interell.) Iuxta constitutionem Blesensem art. 58.

De audientia & consilio.

C A P. X.

ERit forum seu audientia, ad controuerfiarum expeditionem, singulis hebdomadis diebus Martis & Veneris, ab hora octaua, vsque ad decimam; præterquam tempore Aduentus, & Quadragesimæ: quo tempore, ab hora nona vsque ad vndecimam habebitur. Si autem die Martis & die Veneris feriaretur, proximo & sequenti die fiet.

IN audientia, Officiali nostro aut eius Vicegerenti, aderunt dicti assessores, aut maior pars illorum quantum fieri poterit, vt eorum operâ & consilio de omnibus causis ex tempore ius dicere, & si fieri possit eas penitus definire queat.

SI quæ causa in audientia remissa fuerit ad consilium, vt supra tabulas & regesta dijudicetur, scriba quamprimum altercationem & actionem caudicorum expediet, vt in proxima sessione, sine vlla mora, & sine vllis impensis terminetur.

CVM autem alterius litigantium iudicium, effugientis industria, tempore præfinito patronus litem totiûsque causæ acta restituere recusauerit: per libellos supplices à nostro Officiali seu Vicegerente extra tempus audientiæ, & nullo modo in ipsa audientia provideatur diligenter, detentorum compellendo per multas, excommunicationem, in carcerem iniectionem, vel denique per brachij secularis implorationem, ne vlllo modo cum alterius partis incommodo, iudicium malitiosè remorari possit.

POTERVNT Officialis, eius Vicegerens & assessores, iisdem diebus quibus habebitur audientia ante vel

post, aut alio quouis die ipsis magis opportuno, causas ad consilium remissas expedire.

C A V S A R V M in consilio iudicandarum distributio, ab Officiali fiet, aut ab eius Vicegerente. Ipsiusque erit duas sibi reservare, & totidem suo Vicegerenti tradere: reliquas ex æquo suis assessoribus distribuere: cuius distributionis tabula seu regeſtum à scriba aliquo afferuabitur.

S T A T I M atque distributio facta fuerit, Scriba tenebitur inspectoribus, seu renunciatoribus causæ litis acta deferre, ut quam diligentissimè in consilio referant, & exponant, ipsi verò in tabulis seu commentarijs scribæ se recepisse, chirographo profitebuntur. Nulla autem causa iudicari poterit alio in loco, quàm in nostro foro ecclesiastico, adstantibus septem in qualibet sententiâ diffinitiva; quinque in interlocutoria cum Officiali scilicet, eius Vicegerente, & causæ enarrato-

re, quorum singulæ opiniones in tabulis describentur ad hunc finem adhibitis.

DILIGENTER curabit Officialis aut eius Vicegerens, ut sportulæ judicariæ, seu honoraria judicum temperentur, & ne alij officarij quidquam, præter id quod legitimum, & quod per taxam seu æstimationem constitutum fuerit, exposcant aut accipiant.

ERIT forum seu audientia. } Audientia est Episcopi forum, seu iudicium c. personas c. ad hæc c. si duobus ext. de appellat. l. 9. & toto titulo de Episcopali audientia. Auditorium dicitur supra cap. 2. & 8. & c. Romana in princ. de appellat. in 6. Ecclesiasticum iudicium in Synodo Carthagin. c. 15. can. placuit 11. quæ. 1. Græcis ἀποκρίσιον, siue τὸ σημεῖον ἀποκρίσεως ut loquitur Balsamon in Photium veteribus Francis Mallum, à voce Germanica Mabel, quod iudicium sonat: sic enim usurpant leges Salicæ tit. 1. xlv. xlviii. lvi. lix. lx. & capitularia Caroli Magni, & Ludouici Pij lib. 3. cap. xxi. xxvii. xlv. & alibi passim, Synodi quoque Meldensis Patres cap. lxxvi. hinc mallare in ius vocare. Vide Marculphi formulas & Pithæum in Glossis ad capitula Caroli Magni.

Diebus Martis & veneris. Sic & olim conuentus,

44 De audientia & consilio.

consilium concessusque magistratum pro tribunali
 statis anni diebus, non quouis tempore: qua de re
 Theophilus Paraphraſtes, ad tit. institut. qui &
 quibus ex causis manu mittere, & ad tit. de success.
 sublatiſ. Sessionum dies apud Vlpianum l. 5. ff. ut
 in possess. legat. & l. 2. §. dies ff. quis ordo in pos-
 sess. Sic quoque si ius nostrum inspiciamus, primis
 Apostolorum temporibus, à quibus repetenda est
 iudiciorum nostrorum origo, fiebant bis in anno
 Synodi seu conuentus, non solum ad fidei difficul-
 tates definiendas, verum etiam ad occurrentes con-
 trouersias Ecclesiæ dirimendas, ut probat cau. Apo-
 stolorum 37. & ibi Zonaras, & Balsamon: causis
 vero succrescentibus pro multitudine credentium,
 iubentur Presbyteri & Diaconi, quibus id muneris
 incumbere, quæ sapientum nomine intelliguntur
 apud Apostolum ut interpretatur D. Chrysostomus
 secunda feria cuiusque hebdomadæ *ἐν δευτέρῃ σαββά-
 τῳ τὰ τοῦτ' ἀντιζητῶντα* sedare quæstiones, & litigantium
 iurgia, ut habetur in Constit. Apostolicis Clementis
 nomine editis cap. 47. lib. 2.

Nulla autem causa iudicari poterit alio in loco
 quam in nostro foro.] Non igitur in iudicis domo,
 aut alio loco priuato, iudex namque debet sedere
 pro tribunali loco solito more maiorum, & si alibi
 iudicaret sententia eius non valeret l. cum senten-
 tiam C. de sent. & interloc. omnium iudicum l. ius
 pluribus ff. de iust. & iure l. si ut proponis C. quo-
 modo & quando iudex ubi si alio loco quam quo
 debeat iudex iudicet sententia nulla l. 21. §. 10. ff.
 de arbitr. vide Vdalricum Zazium ad D. l. ius plu-
 ribus n. 10. ff. de iust. & iure ubi ponit quinque no-
 tabiles limitationes,

Adstantibus septem in qualibet sententia definitiva quinque in interlocutoria.] Ex Constit. Francisci I. 1535. cap. 16. art. 26. quod maximè in criminalibus causis observandum ut antea sancivit Carolus VIII. constit. sua edita anno 1490. quod si numerus à lege præscriptus plenus ac completus non sit nullam esse sententiam, ac proinde executioni mandari non posse censuit Senatus Parisiensis decreto lato anno 1592. uti refert Petrus Guenois ad Imbertum lib. 3. cap. 20. vide quid in simili statuatur idem Franciscus I. 1539. art. 62. & quæ ibi annotat Bourdinus in sua ad d. constitutionem paraphrasi.

Quorum singulæ opiniones in tabulis describentur.] Concil. Prouin. Tolosa. ann. 1590. part. 4. cap. 2. n. 24. *Quibus ipsi causis, rationibus, authoritatibusque adducti sententiam pronuntiarint, eas omnes Notary, acta causæ excipientes propria manu scriptas, subscriptasque & vero curia actus adscribendas infra decem lata ab eâ sententia dies reddere, & consignare teneantur. Qui secus faxint, p̄s v̄ginti quinque aureorum multa irrogentur. Huiusmodi pars ei qui causa ceciderit, p̄s locus ab Episcopo declarandis altera applicetur, imo & ipso facto applicata censatur.* Idem quoque sancitum antea fuerat Regum nostrorum ordinationibus Ludovic. XII. 1498 art. 115 & 1507. art. 194. & Francisci I. 1535. cap. 13. art. 44.

Sportulæ iudiciariæ.] Quæ & à *diap̄nâ* dicuntur apud Iustinianum in Nouellis sic & salaria quæ Prætorianis militibus, erogabantur sportulæ appellata apud Siden Apollin. epist. 7. lib. 5 & ne nostra præternittamus stipendia, quæ Clericis olim præstabantur, sportulæ dicta apud S. Cyprianum epist. 34. unde *sportulantis fructus*, & *sportulare* pro sport-

tulam, siue vicus stipendia ab Ecclesia accipere apud eundem S. Cyprianum epist. 66. in antiquis verò supremorum tribunalium huius regni codicibus seu registris sportulas istas iudiciales species nuncupatas legimus vulgò *espices*, à voce species qua Latini pro aromatis quandoque sunt vfi vti legere est apud Martianum Iuriconsultum in l. fin. ff. de publicanis veſigal. eò quod olim cum sententiæ Iudicum gratuita essent, non venales, dulciaria solummodo, & iucundi oris, ac saporis munuscula quæ nos vulgò, *dragées & confitures*, Iudicibus apud nos pro salariolo dati solerent à clientibus, quod tamen sportularum genus iudicij postmodum corruptis mutatum fuit in pecuniam numeratam: qua de re conquerebatur Michael Hospitalius Gallix Cancellarius in oratione Rothomagi habita 1563. Has autem Iudicum sportulas moderandas seu vt hic loquitur sty-
lus noster, temperandas dudum præscripsit Iustin. Imp. Nouella 17 cap. 3 & Nouell. 32. cap. 7. quibus subscribunt Regum nostrorum sanctiones Caroli VIII. 1490. art. 15. Caroli IX. 1564. à *Roussillon* art. 30. 31 & 1566. à *Moulins* art. 37. & Henrici III. 1579. in Comitibus Blesensibus art. 127. & 128.

Præter id & ne alij quod per taxam constitutum fuerit exposcant aut accipiant. Id etenim iura prohibent citata supra ad cap. 5. quibus suffragatur Synodus Tolosana habita ann. 1590. sub Cardinali à Ioyosa Archiepiscopo Tolosano part. 4. cap. 2. num. 13. & 14. vbi, vt omnis auaritiæ suspicio à foro Ecclesiastico arceatur, disertis verbis constitutum est, vt omnibus & singulis iurisdictionis Ecclesiasticæ ministris taxa in operis mercedem à iudicibus Ecclesiasticis, quam primum fieri poterit, statuatur;

& qui taxæ constitutum modum ministri excefferint, eos quicunque tandem illi sint, & officij priuatione, & inhabilitatione, aliisque pœnis pro modo culpæ seuerissimè puniantur.

De Citationibus.

CAP. XI.

OMnes citationes causarum ciuiliū introductionem continentes, libellatæ erunt, nec ita generaliter fient, vti hætenus: Vocabuntur autem partes, illas personaliter alloquendo, si fieri potest: alioquin ex eorum domicilio, ad comparandum coram Officiali nostro, aut eius locumtenente, infra diem assignationis aut sequentem, qui de vrbe aut de suburbiis fuerint: qui verò ex diœcesi, infra tres dies post citationem. Quibus transactis nī comparuerint, in absentem, & non comparentem decernentur literæ, in vtilitatem partis aduersæ, quarum literarum vigore denuò citari po-

terunt, neque contumacia, aut excommunicationis poena, vti haëtenus multabuntur: postulantibus verò nisi comparuerint citati: secundò licebit suam petitionem exhibere in suam vtilitatem contra absentes, cuius vigore tertio peremptoriè citabuntur, vt adjudicetur petitio, in vtilitatem defectio- nis: quibus peractis, totalis diffinitiuè, vel interlocutoriè iudicabitur, prout benè visum fuerit ex natura causæ sic dispositæ: vel certè partium altera, pro eiusmodi defectiõne, ab Officiali vel eius Vicegerente, ad expensas condemnabitur.

Q V O D attinet ad citationes in causis matrimonij expediendis, libellatæ similiter erunt ex persona aut domicilio, illarúmque acta, sub vno aut duobus testibus, cum clausula inhibitionum, tam personis sic contrahentibus, quàm Rectori vel Vicario suæ parroc- ciæ factarum, expedientur: vocabuntur denique omnes prædictæ partes,
datis,

dati dierum interstitijs, quibus supra illis elapsis, ni comparuerint, literæ defectus expedientur, & denuò citabuntur:

INQUISITIONES, Auditiones, categoricæ, juramentorum admissiones, vel aliæ præstationes in hoc foro necessariae fieri debent, per dictum officialem, vices ipsius gerentem, consiliarios vel assistentes, quibus deficientibus gradu aliquo insigniti, doctores & licentia donati, substitui poterunt inuocato etiam, si opus sit, brachio seculari, vel manumissione.

Ad testium in præmissis necessariorum compellationem; licebit dicto Officiali, siue eius Vicegerenti uti censuris Ecclesiasticis ad id necessarijs, & partibus etiam respectiuè, ad probandum sua facta vel dicta; dummodo in genere proponantur capita rei probandæ, tacito nomine personarum.

DE CITATIONIBVS. } Merito postquam de personis actum est, ad iudicia desecit, & primum de ci-

tationibus agit: cum principalem instituendi iudicij citatio sit, seu in ius vocatio §. fin. instit. de pœna temerè litig. & l. 1. & 4. ff. de in ius vocando, eaque omiſſa iudicium reddatur ipſo iure nullum l. 1. §. item cum ex edicto, ff. quæ ſent. ſiue Appel. can. Eccleſia 10. extra de conſtit. can. inter quatuor 8. extra de maior & obed. ſicuti nec olim valuit apud Græcos *ἀπαλλοτρίωσις* quæ ſcilicet in eum intende- batur, qui in ius vocatus non erat. Hanc iuris par- tem Græci vocant *πρόσκλησις* iura Pontificia citatio- nem, can. quoniam contra extr. de probat. cum aliis ſimil. Pragmatici vero noſtri, *adiornamentum*, quod ad certam & ſtatam diem fieri debeat diem enim Galli vocant, *iour*, Nos Toſani *iourn* & He- bræi *יומ*. Sanè adiornare pro diem alicui dicere uſur- pant Capitularia Caroli magni & Ludouici Pij lib. 5. cap. 61. *pro nimia reclamatione quæ ad nos venit de hominibus Eccleſiaſticis; ſeu ſiſcalibus qui non erant adiur- nati, quando in Canonico pago ſumus*, hoc eſt, qui non erant in ius vocati. Mallare & admallare. Di- cunt leges Francorum à voce Germanica Mahel iu- dicium; malli vox pro iudicio frequens eſt, ſed & manire, hinc gloſſ. vet. manitus, pro in ius vo- catus & manitis ſeu manita, in ius vocatio, Galli- cè *adiournement*.

Citationes libellatæ erunt.] Id eſt, continebunt cauſam ob quam quis in ius vocatur, vt ex ipſo ci- tationis edicto cognoſcat quibus de rebus conuenia- tur, ſicque paratas exceptiones afferat ad præſtitu- tum diem, aut cedat, & ita minuantur lites, ac ee- leriori exitu ſopiantur. Deſumptum iſtud ex cap. ult. ext. de libelli oblat. ac regis conſtitutionibus Franciſci I. 1539. art. 16. & Caroli IX. 1563. art. 9.

atque hinc libelli Iudiciales. Ob eundem quoque finem iure civili tenebatur olim actor edere vel proponere nomen actionis ut legere est apud Ulpianum in l. 1. ff. de edendo, qua quisque actione, inquit agere volet, prius eam edere debet nam æquissimum videtur, eum qui acturus est, actionem edere, ut perinde sciat reus utrum cedere an contendere ultra debeat: & si contendendum putet, veniat instructus ad agendum, cognita actione qua conveniatur. Et ita abrogatæ fuere dilationes Concilij, aut absentia ex dicta constit. 1539. §. 17. 18. quæ antea dabantur, cum libellus citationis, confusis & generalibus verbis concipiebatur: cap. præterea cap. fin. extra de dilat. can. induciæ 3. quæst. 3. quænammo si citatio generalibus verbis fiat auctoritate iudicis ecclesiastici, sine causæ expressione & qualitate actionis, appellationi tamquam ab abusu locus est, ut bis declarasse Senatum Parisiensem refert Chopinus lib. 2. de sac. polix. tit. 1. num. 15. supremamque Tolosatum curiam posteriori placito idem censuisse testatur Meynardus lib. 2. quæst. cap. 1.

Alioquin ex eorum domicilio.] can. causam quæ de dolo & contum. extra & ibi gloss. in v. *ad di-*
mun l. 1. §. 1. ff. de liber. agnoscend. l. scire oportet §. sufficit ff. de excus. tutor. & Regum nostrorum constitutionibus Lud. XII. art. 51. & Francisci I. an. 1539. art. 9. domicilium autem eò loci habere quis dicitur quo larem rerumque ac fortunarum suarum summam constituit, & cum familia commorari consuevit l. 7. c. de incolis lib. 10. quod si citatus absens sit, apparitor citationis formulam pro foribus ædium affigere & apponere debet, D. constit. art. 23. & l. 4. §. prætor. §. & totiens & ibi Dynus; &

Bartholus ff. de damno infect. *libellum ad ipsas ades, proponere* nos Gallicè dicimus, *par affixion de coppie*; quæ de re legenda Synodus Tolosana habita sub Eminentissimo Cardinale d'Orleans Archiepiscopo Tolosano cap. 19. ubi de iis quæ obseruari debent in exequendis iudicium Ecclesiasticorum mandatis & citationibus ecclesiasticis.

Aut excommunicationis poena vti hætenus multabuntur,] antea siquidem vti ex veteri filo fori nostri ac aliarum curiarum spiritualium huius regni manifesto liquet, vsu forenfi apud nos inualuerat, vt si quis per citationis edictum, in ius accitus præstituto die non comparebat, aut per se, aut per procuratorem, statim in eum excommunicationis sententia pro contumacia decerneretur, sicuti per sacros canones licet; quod tamen hodie meritò non obtinet; nec enim mucro ille horribilis aduersus contumacem distringi debet, nisi postquam alia omnia tentata fuerint iuris remedia; cum scilicet, aut multæ irrogandæ facultas aut pignorum captio, aut personæ comprehensio, aut beneficiorum priuatio deficit, plenaque ac certa sit apud iudicem contumacia quemadmodum fulius cautum est grauissimo sanè sacre Tridentinæ Synodi decreto sess. 25. cap. 3. quod ea, quæ decet diligentia ab omnibus obseruandum præcipit Concil. Prouinc. Tolosan. sub nostro Cardinale à Joyosa part. 4. cap. 1. §. 7. 8. ac Concil. Rothomagensis patres sub Gregor. XIII. celebrati ut. de iurisdic. Ecclesiast. ubi vide & quæ infra dicemus ad cap. 15.

Petitionem exhibere in suam vtilitatem. D. Constit. an. 1539. art. 26. & 27. vide Ægid. Bourdieu Regis in Senatu Parisiensi Procuratorem gene-

ralem in paraphrasi ad C ordinationem & ibi Fontanon.

Tertio peremptoriè citabuntur.) Nec enim ad hoc ut quis contumax dicatur; vna citatio sufficit. Trina requiritur; vel ut Herimogenianus loquitur, in l. contumacia ff. de re iudic. tria proponenda sunt edicta aut vnum pro tribus, quod vulgò peremptorium appellatur, dummodo id in se se contineat distincta dierum intervalla ac si essent tres citationes l. peremptorium ff. de iudic. d. l. contumacia ff. de re iudic. & l. consentaneum cap. quom. & quando iudices.

Iudicabitur.) Tunc iudicium pares habet vires, ac si reo præsente latum fuisset, l. diui fratres §. quod si exseruitute ff. de lib. cau. nec mirum, cum cæteras inter contumacium pœnas hæc annumeretur à Doëtoribus, quod contumax in sui ipsius odium pro præsente habeatur, imò si verè contumax sit, non auditur appellans, dicta constit. an. 1539. art. 28. l. i. c. quorum appellat. non recip. l. ex consensu §. ult. ff. de appellat. quod in ficto contumace secus obtinet; hunc enim ad appellandum admitti debere nulli locus dubitandi relinquitur, ut rectè notat glossa communis DD. calculo approbata in Clementi. de dolo & contumacia.

Ad expensas condemnabitur.) idque etiam si vincat vide Myssingerum lib. 4. obseruat 67. & eis nisi prius resectis audiendus haud quaquam erit, cap. 1. de dolo & contumacia in 6. l. sancimus c. de iudic. & utrobique commentatores: Quin imò nisi effectui expensas ad vltimum vsque quadrantem soluerit, ei audientiam denegari perbellè tradunt Baldus in cap. conquerente, de restit. spoliæ. & Iason

in Autentic. qui res c. de sacro-sanct. Eccles. & in dicta l. sanctimus c. de iudic. sed hæc intellige, si tamen illæ liquidæ sint, & à iudice taxatæ, d. l. sanctimus, ibique Baldus & Iason: aliàs verbalis oblatio cum fideiussore sufficeret; vide hac de re Anton. Fabrum in suo cod. tit. de vsur. & fructu legato. definit. 2. num. 5. sed licet expensas contumax refarcire velit; hucusque tamen audiendus non erit, nisi prius de iudicio sisti cauerit, §. si vero semel, in Autentic. de exhib. reis & d. cap. 1. de dolo & contumacia. Hanc tamen satisfactionem in Gallia locum non obtinere, notat Rebuffus in tracta. de expen. damn. & interesse art. 5. num. 39. Cæterum illud missum non faciam, quod accuratè scripsere Odo-fredus, Bartholus, Baldus, Angelus, Salicetus, Fulgosius, & alij reum victum non condemnari aëtori contumaci victori in expensis; idque propter contumaciam aëtoris speciale est, & in eius pænam introductum: quod clarè probari ex can. calumniam de pœnis, & ex l. propterandum §. si autem ex gestis c. de iudic. asserunt citati Autores.

Sub vno aut duobus testibus.] Imò in omni citatione vt tollatur omnis suspicio, & occasio falsitatis duos saltem testes vulgo *records* adhibendos esse constitutum est Regis ordinationibus Francisci I. an. 1539. art. 9. Aurelian. 1560. art. 93. Molinensi 1566. art. 32. Blesensi 1579. art. 73. Aliàs citatio nulla est, & appellationi tanquam ab abusu locum esse sæpe censuit Senatus Parisiensis, vt author est Charondas lib. 4. Pandect. cap. 7.

Ni comparuerint litteræ defectus expediëntur.] Per contumaciam etiam proceditur in causâ matrimoniali cap. quoniam §. porro vt lite non contestata apud Gregor.

Quibus deficientibus.] Nec enim scribis, aut aliis Jurisdictionis inferioribus ministris committi possunt certè apparitoribus vetuit Senatus Parisiensis, in auditorio criminali an. 1608. 19. Aprilis. Notarias vllas (vulgò informationes) conscribere nisi auctore iudice imò, & repetendi sunt testes ad ipsomet iudice, qui delegauit aliàs, & nisi illa repetitio facta sit, nihil actum nempe propter consuetudines fraudum, quibus temerare omnia consueverunt huiusmodi personæ.

Tacito nomine personarum.] Nec enim suggillari famam gratis in publico cuiquam fas est, cum id leges verent: quotidianus in id textus est in cap. 2. si sacerdos extra, de offic. iud. ordin. imò vbi de publica monitione agitur censurare Ecclesiastica non à nominibus modo, sed à signis, quibus procul dubio dignoscatur quispiam, qui hoc faxit cauendum est: alioquin appellari posse tanquam ab abusu pluribus Senatusconsultis decisum merito fuit: *nihil enim interest*, inquit iuriconsultus, *res proprio nomine appelletur, an digito ostendatur, an vocabulis quibusdam demonstratur*, l. certam ff. de rebus creditis adde l. 4. in tempus §. si quis §. quoties ff. de hæred. Instit. l. nominatum 34. de condic. & demonst. l. nominatum de manum ff. de testam. & alias. Hinc rectè Poeta scis bene quid dicam, positis pro nomine signis; & alibi, os & lingua volenti dicere non aderant, nec quæ loqueretur habebat, signa tamen manifesta dedit. Omittendum tamen non est, quod si aliter res intelligi non possit, hoc casu nomina & cognomina exprimi posse, vti iudicatum à Senatu Parisiensi re fert Probus in notis ad Ioannem Monachum cap. 2. de constit. in 6. num. 22.

De Actionibus petitorijs.

CAP. XII.

IN citationibus circa actiones petitorias instituendis, quæ supra ordinata sunt seruabuntur : partium verò quælibet, ubi præsentēs fuerint, coram scriba debebunt respectiue copiam facere titulorum suorum, quibus uti voluerint, cuiusque partis patronis.

COPIAM facere titulorum suorum quibus uti voluerint. l. 1. §. edenda ff. de edendo l. 2. C. eod. constit. Ruscinonenſis 1563. & 1564. art. 5. vide Ioann. Andr. in addit. ad specu. in fin. tit. de instrum. edi. in art. incipien. tabellionum & Innocent. III. c. 1. de probat.

De expensis earumque estimatione.

CAP. XIII.

DEbent Patroni, siue Procuratores partium rationes expensarum

litis subducere, & scripto coram Commissario deponere, vt de illis iudicet; vocatâ tamen imprimis parte altera, vel eius Procuratore; quæ nisi compareant, poterit nihilominus commissarius ad præmissa deputatus agere, & executoriales literas dare per suum scribam.

SCRIBA interim dictarum expensarum schedulas in fasciculos alliget, quos vbi officio functus fuerit, cum regeſtis, vt supra habitum est, reponet.

CORAM commissario deponere.] Iudice scilicet cûm sit actus iurisdictionis, qui per scribam, seu graphiarium (*vt vulgò vocant*) expediri non potest, sicut edixit Franciscus I. lege lata an. 1539. art. 182.

Vocata tamen imprimis parte altera.] Quod ita fieri debere notant post alios Constantinus & Rebuffus ad d. constit. Francisci I. atque ita Senatui Parisiensi placuisse placito lato an. 1516. refert idem Rebuffus vbi suprâ.

Quæ nisi compareat poterit nihilominus.] Ita Imbert. lib. 1. instit. forens. cap. 53.

Schedulas in fasciculos alliget.] Constit. Francisci I. 1535. cap. 3. act. 20.

Vt supra habitum est,] cap. 5.

De diebus feriatis.

CAP. XIV.

QUIBUS diebus in tabella notatis feriæ indicentur, aut de iure nefasti erunt, causarum expeditiones fieri minimè poterunt.

CAUSARUM expeditiones fieri minimè poterunt. Ob Dei scilicet reuerentiam ac honorem his etenim diebus qui *dies deuotionum* vocantur in l. ult. c. Theod. de nauiculariis, *dies orationum* in c. 2. 15. q. 5. abiciendæ sunt curæ sæculares, ut mens libera Deo seruiat impensius. Desumptum istud ex cap. ult. ext. de feriis, cui ciuiles congruunt leges 7. & ult. C. eod. & hoc ita cauetur, ut cum hi dies diuinum cultum & publicum magis quam priuatum honorem spectent, ne quidem inter volentes iudicia his diebus exercere licitum sit d. can. ult. ext. quandoquidem pactis priuatorum derogari iuri publico nequit cap. si diligenti ext. de foro compet. l. ius publicum ff. de pactis; quod tamen secus obtinet in his feriis quæ hominum tantum causa institutæ fuerunt uti vindemiarum & messium l. 1. & 6. D. eod. sed in eodem genere ex eod. cap. ult. ext. de feriis excipiendi sunt duo casus, necessitatis, scilicet & preteritis, quibus etiam in multis iudicium redditur ut in

d. l. 1. §. penult. cum legibus sequent. ff de feriis, l. 5. 8. & penult. C. cod. ut. sed de his videbis Aufferium & Peyronetum ad decis. 158. & 159. capellæ Tolosanæ infra.

CAP. XV.

De criminalibus causis.

Officialis noster eiúsque Vicegerens, operam dabunt circa diligentem inquisitionem excessuum, criminum & erratorum contra Sancta decreta commissorum, vbi primùm fisci Procuratori innotuerint.

OMNES informationes, siue inquisitiones factæ ad instantiam procuratoris fisci aut animarum, siue visitatorum Ecclesiarum huiusce nostræ Diocesis, vel denique partium civilium, vbi prius perfectæ fuerint, apud Scribam reponentur. Suum vero Decretum apponet & subscribet Officialis, siue Locumtenens, quamprimùm in

rebus parui momenti ; in grauioribus verò & magni momenti consilium adhibebunt, vel aliquibus ex consiliariis communicabunt, vt de illis referant & decernant.

DECRETA verò suprà commemoratis inquisitionibus apposita, promptè expedienda erunt, obsignata per Officialem nostrum vel eius Locumtenentem, & Scribam causæ, nostròque sigillo munita ; eorum verò executio per partes ciuiles agentes, si quæ sint ; quibus deficientibus, per procuratorem nostrum fisci diligenter persequenda erit.

QVORVM quidem decretorum virtute, pars conuicta, vel notata citabitur, vt præscripta die personaliter compareat die notata, si modo ita in ius vocetur personaliter.

VBI verò pars citata non comparuerit die dicto, defecisse iudicabitur ; defectusque literis expeditis, statuatur veniendum esse ; vel ex manumis-

sione, quæ fiet inuocato brachio seculari, si opus sit: Vbi verò deficiens apprehendi non posset, constituetur à dicto Officiali nostro, aut eius Locumtenente, citandam esse primò secundò, & tertio peremptoriè, in valuis Ecclesiæ, affixo exemplari citationis in eiusdem Ecclesiæ porta.

QVÆ quidem citationes peremptoriæ, ita consequenter peractæ in audientia admittentur, & vbi Procuratori fisci communicatæ fuerint, super defectibus iudicabitur, vna cum causæ principalis cognitione, nec vrentur censuris Ecclesiasticis, nisi contumacia aliter requireret.

QUANDO vero partes comparebunt, Officialis, vel Locumtenentis erit, statim ad auditionem causæ procedere, & ad partium interrogationes; vel saltem aliquem ex consiliarijs, vel assessoribus suis, prout videbitur, sibi substituere: nec poterunt illi negotium istud scribæ committere, vel alteri

notario. Imò verò partes singulæ, si modo possint, subscribent suæ depositioni, sin minùs à duobus testibus subscribetur. Eiusmodi porro auditiones sic subscriptæ, à partibus Officiali, Vicegerenti, vel Consiliario ad id deputato, & Procuratori fisci communicabuntur, quo possit palàm in auditorio efficere, vt pars rea vel præuēta ea quæ sibi imponuntur & obijciuntur in iudicio sustineat, nisi aliter constitutur.

Ea propositione peracta, dictus Officialis, siue eius Locumtenens statim iudicet super conclusiones partium, vbi sic disposita fuerit materia, vel ad consilium rejiciat formam omnem procedendi.

D v m verò rei conclusio peragitur, si constitutum fuerit agendum esse per testium compositionem alterius cum altero, parti ciuili præcipiatur, vel Procuratori fisci, vt ad breue tempus testes compareant, retento interim reo vel præuento.

OPERAM dabunt.) Idem officiariis regiis præscribunt constit. Francisci I. 1540. art. 35. Caroli I X. in comitis Aurelian. art. 63. Henrici III. in comitiis Blesensibus art. 184.

Circa diligentem inquisitionem excessuum.) Idque nullius prorsus habita ratione quacumque dignitate etiam in Cathedrali præfulgeat; nec enim in vindicandis hominum sui ordinis delictis adeò mollior, & remissè se gerere debet Officialis, ut potius tanquam conscius conuincat quàm ut iudex de damnatione & scelerum pœna agat: ne de eo usurpari possit quod olim de Senatu Romano dixit Plinius lib. 9. Epist. 16. *Seuerus in cet.ros, Senatoribus solis dissimulatione quasi mutua parit,*

Apud scribam reponentur.) Idem constit. Caroli VII. 1446. art. 17. Caroli VIII. 1493. art. 92. & 93. Ludouici XII. 1527. art. 171. 172. Francisci I. 1535. cap. 2. art. 9. & 10. & cap. 13. art. 14. & 15. & 1536. cap. 2. art. 7. & 8.

Statuetur veniendum esse vel ex manumissione.) D. constit. Francisci I. 1539. art. 25.

Quæ fiet inuocato brachio seculari si opus sit.) Hoc illud est quod cap. 1. de officio Iud. ordin. significatur, Episcopum si opus sit conuocare posse auxilium publicum, ad sceleratos coercendos: atque ita, sicut habetur lib. 7. capitular. cap. 310. *ut ea quæ in sua Diœcesi Episcopus per se, suosque corrigere vel emendare requituerit, per potestates externas corrigantur. Gladium secularem* appellat Petrus Blesensis Epist. 73. brachium verò seculare iuris Pontificis autores, quod implorare Iudices Ecclesiastici solent aduersus contumaces, quos aliter coercere non possunt, ut iudicia & sententias suas exsequantur d. cap. 1.

64 *De criminalibus causis.*

cap. quoniam extra de offic. Iudic. ordin. cap. nouit de iudic. neque id nouum in Ecclesia, cum id olim Synodo Antiochena can. 5. sancitum fuerit & quidem meritò cum enim ultra anathema, Ecclesiastica potestas non extendatur cap. cum non ab homine extra de iudic. hi qui per salutifera sacerdotum monita ad cor reuerti noluerint, per secularis potentiae disciplinam, (*ut loquitur*) *Synodus Turon.* 3. cap. 41. necessario coercendi sunt.

Et tertio peremptoriè.) Quod per præconem fieri solet, qui deinde affigit edictum in valuis Ecclesiae ut in Clem. dudum de iudiciis, can. rem non nouam de dolo & contumacia in extrauag. Huius autem citationis effectus is est ut quamuis constitutionibus DD. Seueri & Antonini cautum sit, ne quis absens postulatui damnari aut muldari possit l. 1. ff. de requir. reis, l. absentem, ff. de pænis, l. absentem de accusat. qui tamen sic in ius vocatur si iudicio non sistat, ex sola contumacia criminis conscius censeatur can. decernimus, 3. quæ. 9. & in eum ex criminis qualitate, & delicti grauitate pæna irrogetur, sicque indicta causa damnetur, vide Authent. collat. 5. Nouell. 69.

In valuis Ecclesiae.) Cathedralis scilicet, aut Ecclesiae maioris ciuitatis ubi degit citandus; aut in alius locis, ubi verisimile sit, quod ad notitiam citandi perueniet. Clem. 1. de iudic. l. iubemus ibi *in frequentioribus ciuitatis locis proponenda* c. de defensor. ciuit.

Super defectibus iudicabitur.) Quod iure fieri manifestè conuincit lex quæ extat in cod. Theodosiano l. 5. Senten. Iulij Pauli tit. 5. & refertur can. de illicita 24. quæ. 3. quæcumque, ait, tribus autoritatibus iudicis

iudiciis conuentus, vel tribus edictis ad iudicem fuerit prouocatus, aut vno pro omnibus peremptorio, id est, quod causam extinguit fuerit euocatus, & presentiam suam apud eum iudicem, à quo ei denunciatum est, exhibere noluerit, aduersus eum quasi in contumacem iudicari potest. Quod & confirmatur Alexandri III. & Innocentij III. const. can. causam 3. & can. veritatis 8. de dolo & contumacia extra. Vnum tantum hic lubet annotare quod licet contumax eius criminis cuius insimulatur pro cōuictio habeatur & confessio; si tamen postea iudicio se sistat, suam innocentiam probare ei fas esse, cum sententia lata contra absentem præsumatur potius lata ratione contumaciæ, quam quod malam causam habuerit: tum etiam quod contumacia sit fictum seu præsumptum delictum & ficta atque imaginaria probatio, quæ ex præsumptionibus resultat sententiaque quæ ex fictis probationibus lata fuerit non transit in rem iudicatam: ergo merito audiendus est per text. in l. si qui adulterij C. ad l. Iuliam, de adult. Innoc. can. tua nos num. 5. de cohabit. Cleric. Hippolytus in præct. crimin. §. ordine num. 54. & seq. Vide Mylengerum cent. 2. obseruat. 88. vbi docet etiam extraneum ad probandam contumacis innocentiam admitti, & ita in camera iudicari se vidisse testatur.

Nec videntur censuris.] Sicut de antiquo stylo obseruabatur §. de excommunicatione pro contumacia concedenda, & iure canonico licet can. illicita 23. quæst. 3. cap. 1. de iudic. cap. quoniam §. fin. vt lite non contestat. cap. ex parte de verbor. signific. extra & cap. venerabilibus §. secus de senten. excom. in 6. hodie tamen neque in ciuilibus neque in criminalibus causis ad penam excommunicationis non deue-

nitar quando potest aduersus reum reals vel personalis executio fieri vide Concil. Trident. sess. 25. cap. 3. de reformat. & quæ supra annotauimus ad cap. 11.

Nisi contumacia aliter requireret.] Vt si dicatur executioni facile locus esse non possit; tunc enim vt ait Concil. Trident. loco proximè citato licebit iudici hoc spiritali gladio in delinquentes vtr; si tamen delicti qualitas, præcedente bina saltem monitione, etiam per edictum, id postulet.

Statim ad auditionem causæ procedere.] Idem constit. Francisci I. 1539. art. 146,

Vel saltem aliquem ex consiliariis.] Ecclesiasticis nempe ex supra annotatis ad cap. 4.

Nec poreunt illi negotium istud scribæ committere.] D. constit. Francisci I. 1539. art. 144. vide ibi Constantinum & Budinum.

Et Procuratoris filci communicabuntur.] Constit. Francisci I. 1539. art. 147.

Statim iudicet] D. constit. Francisci I. 1539. art. 139. 140. 145. Aurelian. art. 63. Blesensi art. 184. vide l. 1. C. de custodia reorum.

Æstimationes mercedis scribis nostri Officialis addicende pro expeditionibus.

C A P. XVI.

PRO qualibet litigatione seu dicta
 aduocatorum expedita, asses duo,
 denarij sex. ij. s. 6. d.

PRO alijs verò non expeditis, nihil.

PRO expeditionibus apunctamentorum in pede libelli expeditorum, asses duo, denarij sex. ij. s. 6. d.

PRO expeditione decreti in causis criminalibus ad personaliter comparandum, vel ad capturam, quinque asses. v. s.

PRO expeditione Commissionis in partibus pro quacunq; qualitate, etiam beneficiali & matrimoniali, decem asses. x. s.

PRO expeditione verò Commissionis ad fines inquirendi in causis criminalibus, quinque asses. v. s.

PRO litteris testimonialibus seu commendatorijs, quinque asses. v. s.

PRO omni salario & mercede scribarum vnus diei extra urbem, ad commissionem peragendum, asses triginta, citra omnes expensas. xxx. s.

PRO communicatione litium in quibuscunque causis, etiam beneficialibus, asses quinque, v. s. Exceptis communi-

68 *Aestim. merced. scrib. nostri Offic.*
cationibus tam Procuratori fiscali,
quam animarum, pro quibus nihil.

PRO quolibet folio extractum quo-
rumcumque, assis vnus, denarii octo.
j. s. 8. d.

PRO processu verbali dictorum ex-
tractum parte vocata factorum, asses
quinque. v. s.

PRO actis cautionum datarum apud
scribam, inclusa schedula dimissionis
è vinculis, asses quinque. v. s.

PRO actu releuationis dictis cautio-
nibus factæ, asses duo, denarij sex.
ij. s. 6. d.

PRO actu cancellationis prædicto-
rum actorum cautionis & releuationis,
asses quinque. v. s.

PRO constitutionibus procuratio-
num apud scribam factarum, duo asses,
denarij sex. ij. s. 6. d.

PRO expeditione inuentariorum ge-
neralium, & exemplariorum ipsorum,
quando apud scribam iudicis appella-
tionum lites sunt remittendæ, asses

quindecim.

xv. s.

PRO præsentatione procuratorum
apud scribam facienda, pro introdu-
ctione instantiæ assis vnus. j. s.

*Aestimationes mercedis, Scribis & patro-
nis curiæ Domini Officialis Tolosæ
addicenda, pro expeditionibus.*

CAP. XVII.

PRO libellis citationum libellatis,
vnus assis, octo denarij. j. s. 8. d.

PRO omnibus aliis literis citationis
testium vel partium litigantium, assis
vnus, denarij octo. j. s. 8. d.

PRO literis datis in materia matri-
moniorum vt partes compareant per-
sonaliter, cum inhibitionibus interim
fieri solitis, asses duo, denarij sex.
ij. s. 6. d.

PRO monitoriis generalibus absque
iudicum permisso expeditis, etiam si co-
ram illis pendeat lis indecisa, assis vnus,

70 *Æst. merc. Scrib. & patr cur. Dom. &c.*
denarii octo. j. f. 8. d.

PRO monitoriis datis iudicum permissu causæ summa capita continentibus, asses duo denarii sex. ij. f. 6. d.

PRO illis monitoriis, quæ iuxta contractus obligationes vel iussa superiorum expediunt, asses duo, denarii sex. ij. f. 6. d.

PRO secundis literis super defectu non comparentium, asses duo, denarii sex. ij. f. 6. d.

PRO literis contumaciæ, suspensionis vel interdicti, ubi sic ordinatum fuerit, asses duo, denarii sex. ij. f. 6. d.

PRO literis aliarum pœnarum seu mulctarum decretis, assis vnus, denarii octo. j. f. 8. d.

PRO literis procuratorum apud scribas constitutorum, assis vnus. j. f.

PRO quolibet decreto sub iudice facto, dicta partium vel patroni non continente, asses quinque. v. f.

PRO absolutionibus sub iudice concessis, asses quinque. v. f.

PRO decretis definitiuis iudicialiter datis, quæ partium litigationes scriptas habent, asses septem, denarii sex. vij. s. 6. d.

Quod si prolixior fuerit sententia, eo casu arbitrio nostri officialis existimabitur.

PRO decretis interlocutoriis iudicialiter datis, asses quinque. v. s.

Secundo verò casu absoluto reo tenetur Procurator Fiscalis ei denunciatoris nomen edere, ut contra eum ad id quod interest agere possit, iuxta ordinationem Aurelianensem art. 73. quæ licet generaliter loquatur, sic moderandam, & interpretandam puto, ut procedat, cum nihil probatum est contra reum, aut cum lis mota sit, nullis præcedentibus indicis, aut fama; cæterum si probatio facta sit testibus, quæ postea eorum fuerint aut ratione infamæ, aut qualitate suæ personæ, aliter statuendum est ex notatis per speculatorem tit. de calumn. in fin. quem sequitur Bald. in l. non ignorat C. de fruct. & lit. expen. Hypolit. mar. sing 444 & Menochius de arbit. iudic. casu 321. n 31. & ita in Curia Officialis aliquoties vidimus iudicari: puta in causa Domini Michaelis Martetii ibi tunc Procuratoris Fiscalis Archiepiscopatu Tolosani, contra Magistrum Corbenan Larue Rectorem loci sanctæ Apolloniæ. Cum enim dicto Marteto infligame, in dictum Larue de variis & gravissimis criminibus inquisitum fuisset, variaeque in eum clogia & testimonia non modo suspiciosa, sed etiam criminosissima allata fuissent, ita ut testium repetitio, & cum eo compositio ab Officiali constituta

fuerit; legitime tamen refutatis septemdecim testibus, absolutoria sententia in eius fauorem lata fuit. Cum autem absolutus ex libello porrecto postulare contra dictum Marcum, ut sibi denuntiatoris nomen cederet, Nos contra pro dicto Marc ita differimus in Curiae auditorio. Ordinationibus quidem Regiis constitutum est, ut Procuratores Fiscales lata sententia in fauorem rei teneantur denuntiatoris nomen reo cedere; scilicet cum aduersus reos prodit accusator, nullo testium fultus adminiculo, nihil etiam afferens quod praesens viderit vel audierit; sed quod tantum suspicionibus ipse sibi suasisit, vel volentis rumoribus comediatus sit, ut ait Iuo Carnotensis epist. 119. ceterum quoties plura testimonia in reum prolata sunt, quamuis postea refellantur, non est praesumenda calumnia. Nam si iure statutum est etiam testem vnicum à Talionis poena accusatorem liberare, ut sancitum est constitutione Philippi IV. anno 1313. & est communis omnium Iuris Doctorum consensus, quos refert Hyppolitus de Marsiliis sing. 47. Bald. & Ang. in l. si praeses Cod. si seru. aut. lib. 10 Cod. cur tot testium testimonia, quibus fulta & iunixa est haec accusatio, ab huiusmodi calumniae metu denuntiatorem aut Procuratorem Fiscalem non vindicabunt? Nec frustra hoc constitutum aut definitum extat: hac enim licentia data reis agendi in denuntiatores ad poenam Talionis, vix esset aliquis qui impuros & omni scelere coopertos deferret: quod magno Reipublicae detrimento cederet; maxime hoc calamitosissimo tempore quo ut S. Cypriani sui saeculi vitia deplorantis verba vsurpem, eo usque eneruatus est Ecclesiasticae disciplinae vigor, & ita omni languore vitiorum praecipitatur in peius; ut iam


non vitiis excusatio, sed authoritas detur, cui etiam verè aptissimèque accommodari possunt quæ iam ante S. Cyprianum scripserat Seneca lib. 2. de ira cap. 8. *Ornata sceleribus ac vitis plena sunt, plus committitur, quam quod possit coercionem sanari; certatur ingenti quodam nequitia certamine, maior peccandi quotidie necessitas, minor verecundia est, expulso melioris æquior. sue respectu, quocunque visum est, libido se impingit, nec fortuita iam scelera sunt, præter oculos sunt, adeoque in publicum missa nequitia est, & in omnibus pectoribus inualuit; ut innocentia non rara, sed nulla sit. Undique velut signo dato ad fas nefasque miscendum coorti sunt; plurimum igitur Reipublicæ interest, si cui rectè aduertit Cicero plures esse accusatores in ciuitate, ut metu contineatur audacia. Nam, ut ait Symmachus, *utile est in publicam proferre notitiam quod velis correctam, ut denuntiatione futuri periculi ad consulendum publicorum cura moneatur*; Idque adeò utile & è Republica Iurisprudentes præuiderunt, ut quamuis olim accusator sese mancipare carceri, ac inscriptionis vinculum assumere, id est, ad pœnam talionis sese adstringere cogeretur, nisi delata legitimo testimonio comprobasset iuxta l. fin. Cod. de accus. hanc iuris rationem ac inscribendi, seseque in carcerem trudendi, ut nimium austeram, nimisque rigidam abrogauerint; ut pote quod hac de causa multi ab accusatione etiam maleficientissimi cuiusque atque adeo sceleratissimi deterrentur; rati satius esse, propriæ salutis consulere, quàm cum propriæ vitæ periculo facinorosorum vitam in discrimen adducere. Hinc eleganter Quintilianus, nullus tam inimicus Legislator fuit, ut errorem accusatoris parire vellet. Oportet esse in ciuitate & accusatores, alio-*

qui omnia mittuntur ad manus, omnia mittuntur ad ferrum, per se difficilem rationem vindictæ, & vltionis facinus pœnæ licentiam grassatoribus & latronibus damus, quod nemo accusare sine periculo capitis sui potest, cum igitur huiusmodi denuntiatores tantum utilitatem præ se ferant, tantum abest, ut ullomodo vexari debeant; quin potius præmiis afficiendi sunt; imitandi hac in re egregij venatores, qui captæ feræ partem cani dare solent, ut hoc modo demulceant eum, & alacriorem & sagaciorem reddant ad venandum: sic boni Domini est in eos quorum opera Lupi & Leones domestici scelerati quique expugnantur, tanquam benivolos pacificos & salutare civis benefica voluntate moveri, & præcauere, ne ab aliis, quos reos detulerunt, molestus, & incommodis afficiantur: alioqui fore ut quid simile accidat, quod contigisse Rômæ refert Dio; cum enim Romani præcidissent licentiam accusandi, & inde multi falsarii, inde venefici, inde in media ciuitate sicarii prodirent, tam ad peccandum præcipientes quam impunè peccantes: à nocente enim crimen admittebatur, nec innocens qui vindicaret inueniebatur, de accusatore vel iudice nullus metus; ne huiusmodi subdolæ sycophantarum artes, quæ per multorum animos quasi contagione quadam serpebant, diffuerent ac manarent latius, ita præcindendas, atque amputandas putarunt, ut ei qui alterum maioris criminis, in quo ipse esset coargueret, impunitatem dare coactus fuerint. Ex quibus factis superque apparet, sicut olim maximè necessarium & perutile Reipublicæ fuit, temporum licentia ad calumniam abutentes exilio & grauioribus aliis pœnis id genus hominum afficere, ob frequentem, &

pene publicam accusandi rabiem , quæ civili bello grauius togatam ciuitatem confecerat : ita æque perniciosum Reipublicæ hodie existimandum esse , eos, qui nulla priuatim accepta iniuria , sed commodis Reipublicæ seruientes , & iniuria publica commoti ad accusandum accedunt , non admittere , nisi cum iactura bonorum , & discrimine vitæ & existimationis ; præsertim cum plus emolumenti ex huiusmodi accusationibus , quàm detrimenti Reipublicæ accedat. Nam vt ait Cicero , idèò facile omnes patimur quam plurimos accusatores , quod innocens si accusatus sit , absolui potest ; nocens nisi accusatus fuerit condemnari non potest. Vtilius est autem absolui innocentem , quàm nocentem causam non dicere , & , vt dicebat Anuphron apud Stobæum si peccandum sit, iniuste reum absolucere , quàm insontem iniuste perdere melius fore. Illud enim quidem peccatum est , hoc verò impietas. Non est igitur quod de violata existimatione dictus Larue conqueratur. Ex quo enim de crimine supradicta sententia absolutus est, existimationi ipsius cumulatissimè satisfactum esse dubitari non debet. Et ad hanc rem egregia sunt verba, quibus vtitur Theodoricus Rex apud Cassiodorum lib.4. variar. epist.44. respondens simili querimonie cuiusdam Episcopi inter reos delati & absoluti, sanctitatis, inquit, vestra non grauetur animus, nec se fallacibus verbis doleat accusatum, multò maior est opinio purgata, quàm si desinentibus querelis non fuerit impetita, & iuxta prædicta ordinatum fuit non esse locum edendi nomen denuntiatoris ; & dictus Larue dimissus fuit reiecto libello sine expensis Curie Officialis decreto ex tempore lato in publica fori disceptatione die 13. Martij 1612. cum Nos & Berengua-

rius collega noster, necnon Dominus Bardion Canonicus Ecclesiæ sancti Stephani Procurator Fiscalis hinc inde litigatorum causam perorassemus.

Ultimo verò casu, quando ex necessitate Officij Procurator Fiscalis litem profecutus fuit. Concludendum cum Autore Procuratorem Fiscalem ita demum *reneri*, si litem iniuste mouerit per iura hic allegata, quæ autem causæ sint quæ à calumnia excusare possint, consulendi Guid. Pap. decis. 269. Imbertus lib. 3. cap. 1. Instit. for. Philippi in suis Atres. arr. 110. Barbat. conf. 40. colum. 2. & sequen. Panorm. consilio 78. volum. 1. Rebuff. in commentariis ad constitutiones Regias, & in Concordatis, ac Menochius de arbit. iudic. lib. 2. tit. 4. casu 321. & lib. 5. præsum. 25. vbi ita enucleatè suo more tractauit vt nihil addi possit.





EPISCOPI TOLOSANI.

I. **S**ANCTVS SATVRNINVS a'inae Ciuitatis Tolosæ Apostolus, ac diuus Tutelaris & Patronus præcipuus, qui eam in urbem fidem Christianam ab Apostolorum Discipulis acceptam primus inuexit, ideoque Martyrio inibi coronatum sub Decio tradunt Viri docti ex Gregorio Turonensi, Seuerio Sulpitio, & eiusdem passionis actus, quæ apud Surium extant tom.6. quibus suffragantur Martyrologij Romani Tabulæ Sacræ ad 29. Nouembris, qua die quoque colitur cum octaua ab Ecclesia Tolosana. Quiescit in sui nominis Basilica toto orbe celeberrima, ad quam, è loco ubi primùm humatus fuerat, asportatus fuit, & in quo postmodum sub eius nomine erecta Ecclesia, quæ à Tauro, cui illegatus sanctus Martyr, nomen habuit, nunc Deiparæ Virginis Mariæ de Tauro titulo & patrocinio gaudet.

2. **S. HONORATVS** Confessor, quem secundum Pontificem Tolosana Ciuitas dudum venerata est: festum habet in antiquo Breuiario Tolosano 22. Decembris, quo die colitur officio duplici in præ-

fata Ecclesia sancti Saturnini in qua iacet sacrum eius Corpus at verò 15. Decembris in Tolosana Diœcesi ex Kalendario nouo eiusdem Diœcesis.

3. S. HILARIUS Confessor, annua celebritate Tolosæ cultus 20. Maij, non Kalend. Iunij, vii perperam Chenutius, Cl. Robertus, Sauvaius, & alij eos secuti; qui duo vltimi falsò quoque duos sanctos Hilarios Tolosanos Antistites nobis obtrudunt, vñum S. Honorati, alterum Mennæ successorẽ, cum vnus tantum Hilarius extiterit, qui S. Honorato successit. Memoratur autem S. Hilarius in vita sancti Saturnini apud Surium, in qua dicitur inuenisse Corpus eiusdem Sancti, in cuius aede conditus ipse, summa in veneratione habetur.

4. S. SILVIUS Confessor, qui Basilicæ S. Saturnino dicatæ iecisse fundamenta traditur ex antiquis monumentis, de quibus Bertrandi & Catellus; eius festum celebratur pridie Kalendas Iunij ex antiquo & nouo Breuiario Tolosano, iacet in S. Saturnini. Vide Proprium Diœc. Tolosanae.

5. RODANVS qui præfuit circa annum Chi. 356. quo factione Arrianorum in exilium actus est, vnà cum S. Hilario Pictauiensi apud Seuerum Sulpitium lib. 2. hist. Eccl. vbi pro Dosano Antistite Tolosanum restituendum probè docet Baronius sub eod. ann. 356. num. 110. RHODANVS dicitur in vita S. Athanasij, & apud Marianum Scourin.

6. S. EXUPERIUS Confessor, vitæ sanctumonia ac miraculis claus, sanctique in primis Hieronymi commendatione longè nouissimus, ac Urbis Tolosanae Patronus minùs principalis: festus illi dies 28. Septemb. qui eius natali sacer est in Martyrologio Romano, ac Breuiario Tolosano; translatio verò 14.

Iunij celebratur in eodem Breuiario Tolosano; florebat adhuc sæculi quinti initio quo ad eum scripta ab Innocentio I. Pont. Max. epistola ex qua apud Gratianum can. eos 6. dist. 31. can. proposuisti 2. dist. 82. can. quæsitum est etiam super his 45. & can. illud etiam sciscitari 46. 23. quæ 4. ac postremò can. Christiana Religio vlt. 32. quæ 5. veneranda eius ipsa seruat prædicta S. Saturnini Basilica, & debita reuerentia colit.

7. MAXIMVS Tolosanæ Cathedralis præfidebat seculo quinto, vt ex C. Sidonij Apollinaris epist. 24. lib. 4. adstruunt Baronius, Sauaro, Catellus, & complures alij viri Docti.

8. HERACLIANVS Agathensis Synodi Canonibus subscribit, quæ coacta est sub Symmacho Papa an 505. apud Sirmundum.

9. S. GERMERIVS, cuius prætiosæ Corporis exuvie in Ecclesia Parochiali S. Iacobi de Murello hodie reuerentissimè asseruantur; consecrataque annuæ solemnitati dies in Diœcesi Tolosana 16 Maij celebratur, vt patet ex veteri Breuiario Tolosano, & proprio SS. eiusdem Diœcesis; non 12. vt perperam Catellus, & post eum Sammartani fratres: claruit sub Clodoueo I. Francorum Rege, vt ex actis liquet; de eo nos propediem in auctario ad Onomasticon sanctum à nobis paucis ab hinc annis primò editum.

10. MAGNVLIVS de quo in Concilio Matifconensi 2. an. 585. & apud Gregor. Turon. lib. 8. hist. Francorum cap. 27. & 32.

11. MENNAS sedebat anno 601. quo ei scribit S. Gregor. Pont. Max. lib. 9. epist. 52.

12. SEDOCVS præfuit ann. 43. Chlotarij II. Regis id est an. 627.

13. **VIRELEGISELVS** Concilio Remensi interfuit quod anno 630. collectum est de quo Flodoardus lib. 2. hist. Remensis cap. 5.

14. **S. EREMBERTVS** ex Monacho & Abbate Fontanellæ, festum habet 30. Aprilis in Martyroll. Benediçt. ubi Arnaldus Vuion in Notis, & Menardus lib. 1. obseruat. qui vitam eius profert ex veteri MS. Cœstobij Fontanellenfis, vii & Catellus in suis Commentariis Occitanicis, ex antiquo legendario Moyssiacensi: cælum petiit Fontanellæ, ibique conditus in Ecclesia S. Pauli cum abdicasset circa ann. 690.

15. **S. SILVINVS** Antistes admiranda sanctitatis de quo Martyroll. Romanum ac Benediçinum, propriumque Sanctorum Diœcesis Tolosanæ 17. Febr. obuit in Alciaco, *anci les Moines*, olim Morinensis, nunc Boloniensis Diœcesis Conobio Benediçinorū ann. 715. inde ab Arnulpho Magno Flandriæ Comite translatus Audomaropolim ad Monasterium Bertinianum, ubi in magna est veneratione.

16. **ARRVS** O an. 785. in Concilio Narbonensi apud Catellum, & ann. 787.

17. **MANTIO** præsuit Ludouico pio imperante, vt discimus ex Theodulpho Aurchianensi Poëmatum lib. 4. carmine 10. in elegiacis.

18. **SAMVEL** ann. 841. vt planum fit ex præcepto Caroli calui pro tribus Ecclesiis S. Stephani, B. Mariæ, ac S. Saturnini Tolosæ apud Catellum.

19. **ELIZACAR** circ. ann. 856. apud Annoinum lib. 2. cap. 9. cum de translatione B. Vincentij Martyris ab Hispania in Monasterium Castrense.

20. **BERNARDVS I.** vnus ex iis Patribus, qui sacrum Nemausensem Conuentum in villa poëtu, à

Theodardo Narbonensi Archiepiscopo coactum an. 886. celebrarunt; memoratur & anno 890. in vetustis membranis.

21. *ARMANNVS* nominatur in epistola Iohannis X. Rom. Pont. scripta ad suffraganeos Narbonensis Metropolis, quæ habetur apud Catellum in Occitanie commentarius cum de Agio Narbonensi Archiepiscopo fol. 755. qui de ea rursus cum de Armano nostro fol. 854 & cum de Gerardo Agathensi Episcopo fol. 969. Hunc an. 920. aut 925. sedisse autumant Sammarthani fratres.

22. *RAYMUNDVS I.* circiter an. 932. ex peruetustis documentis apud Sammarthanos fratres quamquam Catellus vitam egisse Carolo Crasso imperante affirmat.

23. *ISLO*, siue *ISLVS*, anno 936. tempore Regis Ludouici IV. cognomento Vitramarini apud Catellum ac Sammarthanos fratres.

24. *HVG O I.* ann. 948. & 973. apud scriptores proximè laudatos.

25. *ISSOLVS* an. 975. apud Catellum.

26. *ATRV S* ann. 982. apud Catellum.

27. *RAYMUNDVS II.* an. 1020 apud Catellum.

28. *ARNOLDVS* ann. 1035. & 1056. quo Concilio Tolosano sub Victore Papa celebrato interfuit, de eo Chronologia Episcoporum Lodouensium cum de Rostagno Lodouensi Episcopo.

29. *PETRV S ROGER I.* vixit Henrico I. regnante, viuereque desiit an. 1060. vt author est Bernardus Guido in Episcopis Tolosanis.

30. *DVRANNVS* al. *DVRANDVS* ann. 1060. & 1068. apud Catellum fuit is S. Hugonis Cluniacensis discipulus, ac Abbas Moyssiensis in Cadurcis.

31. ISARNVS ah. 1072. 1077. 1083. 1093. & 1098. apud Catellum lib. 10. histor. Comitum Tolosanorum cap. 19. & lib. 5. Comment. Occitanie in serie Tolosandrum Præfulum, sed de eo quoque antè pluribus egerat, cùm de Vaurenſi Oppido lib. 2. Commentar. Occitan. quo autem anno supremum diem obierit, incompertum.

32. AMELIVS ann. IV. 1120. 1127. & 1137. apud Catellum.

33. RAYMUNDVS III. ann. 1140. 1143. 1148. in Concilio Remensi 1158. 1160. apud Catellum ac Sammarchanos fratres; vita defungitur an. 1163. die 15. Martij ex Necrologio Metropolitana.

34. BERNARDVS bonus homo 2. ex præposito S. Stephani subleçtus est ann. 1162. decessit 1164. ex eodem Necrologio Tolosano.

35. GERALDVS de Labarthe ex Archidiacono Ausciensi ad hanc sedem euehitur ann. 1164. translatus inde ad Ausciensem circiter an 1170. sedes enim carebat Pontifice ann. 1170. & 1171.

36. HUGO II. ex Abbate S. Saturnini ad hanc cathedram conscendit ann. 1172. faus concessit ann. 1175. 16. Aprilis ex Necrologio S. Saturnini Tolosæ.

37. BERTRANDVS I successit an. 1175.

38. GOCELINVS al. Goscelinus, seu Gaucelinus ann. 1176. quo subscribit Concilio Albienſi apud Houedenum in annal. Angliæ part. 2. vacabat sedes an. 1179.

39. FULCRANDVS Pontificus insignibus cohonestatus est ann. 1180. migravit è vita ann. 1201. Aprilis 14. ex Necrologio Tolosano Pontifex fuit summa pietate conspicuus, opumque contemptor.

40. RAYMUNDVS de Rabastens IV. ann. 1201. 1203. 1204. 1205. quo à sede sua pulsus apud Cataluniam. Is esse existimatur de quo in cap. per inquisitionem 26. ext. de elect. quod caput est Innocentij III. ad Arnoldum scilicet, postea Narbonensem Archiepiscopum, & habetur integrus in 3. collectione.

41. FULCO electo Raimundo ad Pontificis solium accitus est ann. 1205. in quo sedit, præseditque summa cum laude, vsque ad an. 1231. quo vita, tandem, ac Episcopatu decessit, die Christo nascenti sacra; humatus in Monasterio Grandisylvar, cuius Monachus exiterat, ponè tumulum Guillelmi de Montepessulo, ad aram principem; Pontifex fuit ingenij non vulgaris, ac omni virtutum genere cumulatissime instructus, fideique Catholice zelator feruentissimus cum esset, murum se pro domo Domini, contra Nefarios Albigensum Hæreticorum insultus constanter opposuit; ideoque non sine causa inter pios Ordinis Cisterciensis à compluribus, maximeque ab eiusdem Ordinis Chionographis recensitus.

42. RAYMUNDVS de Falgario, siue de Muiamont V. Dominicanus, Fulconi extincto succeditur eod. ann. 1231. vir profectò dignus tanta cura quam præclare gessit annos nouem supra triginta; quibus exactis felicem animam Deo reddidit an. 1270. 14. Kalendas Nouembris apud suos Dominicanos Tolosæ terræ mandatus in medio Chori cum Epitaphio.

43. BERTRANDVS DE INSVLA, *Episcopus Iordani*, 2. cum præpositus Tolosanus esset, ad Tolosane Ecclesiæ gubernacula admotus, eodem anno quo Raymundus è medio subductus 1270. ad superiores demigrauit ann. 1285. in Castro de Balma quod

ipse construxerat die Ianuarij vltima, conditusque in Choro Metropolitana sub Cupreo Cœnotaphio quod igne absumptum in conflagratione eiusdem Chori ann. 1609. primus Episcoporum sepultura donatus in Cathedrali Bernardo Guidonis Auctore.

44. HUGO Mascaron 3. siue Mascarius ex Canonico electus est Antistes ann. 1285. sublatus est Romæ 1296. vt ex Necrologio præfatæ Ecclesiæ obseruare licet : ex Italia Tolosam delatus, sepulturam accepit in Dominicanorum Templo iuxta latus altaris summi an. 1299.

45. S. LUDOVICVS de Sicile I. cognomento *de Marseille* Caroli 2. vtriusque Siciliæ ac Hierusalem Regis, Prouinciæ & Andegau Comitis ex Maria de Hungaria secundus filius, ad hanc sedem assumitur à Bonifacio 8. Rom. Pont. sub finem anni 1296. verùm Episcopi onus non diu sustinuit, nam ex rapida febris æstu eripitur terris, in cœlo regnaturus an. insequen 1297. die 19. Augusti pari loco & die quo natus, Brincolæ in Prouincia, sepultusque in æde Franciscanorum Massiliæ, sanctorumque albo inscriptus à Ioanne 22. 8. Idus Aprilis an. 1317. colitur in Martyroll. Romano, ac proprio Sanctorum Diœcesis Tolosanæ 14. Kalendas Septembris.

46. ARNALDVS ROGERII de Conuenis, *Comenge* Bernardi huius nominis 4. Conuenarum Comitis filius, S. Ludouico è terris in cælum sublato Canonorum suffragiis pro more, ad hanc sedem, quamvis absens deligitur ann. 1297. & à Bonifacio VIII. Pont. Max. Romæ consecratur, sed non longum ea frui fata concessere, Roma etenim reuertens, morbo in itinere correptus, Ecclesiæ indepta possessione
humanis

humanis rebus eximitur an. 1298. 6. idus Octobr. ex veteri Necrol. Tolosano, & Franciscana in æde de *Samathan*, à Nouatoribus post modum destructa tumulatur auctore Bernardo Guidonis.

47. PETRVS DE CAPELLA, *de la Chapelle* 2. Cardinalis Prænstinus tituli S. Vitalis, postea S. Vestinæ ab eodem Bonifacio VIII. ad hanc Cathedram assumitur ann. 1298. cum prius Carcassonensi præfuisset à Clemente verò V. sacri Senatus Purpura decoratur an. 1305. quam tamen cum vita reliquit Auenione ann. 1312. 16 Maj. Mense Octobri sequenti elatum cadaver ad Collegiatam Basilicam de Capella *Taillefer* in superiore Marchiâ Lemouicinâ, quam fundauerat.

48. GAILLARDVS DE PRESSAC Cardinalis tit. S. Luciae in Silice, Clementis V. ex sorore Nepos, ab eodem Clemente, ex Vasatensi Præfultatu ad Tolosanum traducitur ann. 1312. sed cum magnam partem reddituum inutilibus expensis oppignerasset, sede sua eiectus, sine Episcopatu remansit, continuoque Tolosana sedes Episcopalis in Metropolitanam erigitur, tandemque fato suo functus est Auenione ann. 1327. alius 1357.



ARCHIEPISCOPI T O L O S A N I.

49. **I**OANNES DE CONVENIS, *Comenge*,
Episcopus Cardinalis Portuensis & S. Rufinae,
ex illustri Aquitanos inter, tota itidem Gallia percelebri gente satus, utpotè Bernardi Conuenarum Comitum, huius nominis quinti, ex Loia Montfortia filius; superiorisque Arnaldi Rogerij Antecessoris nepos: vir pietate & prudentia singulari clarus, ex Antislite Magalonensi, cuius nunc Montispeffuli est Sedes, Primus Archiepiscopus Tolosanus cedente iussu Pontificis Gaillardo de Pressac constitutus, mense Iulio anni 1317. quo Ioannes XXII. Tolosanum Episcopatum antea Narbonensi pædo subiectum, ad dignitatem Metropolitanam euexit. In ipsis ferè noui Pontificatus auspiciis Tolosæ indicit curauit sacrum Conuentum, in quo præclara facta & sancita, circa Cleri populique deprauatos mores emendandos ex corrupta disciplina inuectos; emensis verò in Archiepiscopatu Tolosano decem ferè annis, sacro Cardinalium cætui aggregatur Aucione, ab eodem Ioanne XXII. ann. 1327. Decembris 18. quo vita functio Romanus Pontificatus à Cardinalibus ei oblarus, ea conditione ut Aucione ageret, sederetque Pontifex; sed optimus & generosus vir

abnuitt Pontificatum hac lege , asserens id vergere in magnum Ecclesiæ detrimentum. Quo factum est ut sic elusis eorum votis , mutata sententia , Iacobus Fornerius, infimo loco apud Sabardunum Provinciæ Tolosanae natus , sit ab ipsis assumptus ad D. Petri sedem , an. reparatae salutis 1334. Cardinale nostro calculum suum dante , inò promouente , Petragoricensi , & Columna Cardinalibus obnitentibus , qui postea Benedicu 12. alius II. nomen assumpsit. Ceterum summae huic virtuti , quam tanto dignam fastigio iudicabant vniuersis suffragiis purpurati Patres , accedebat studium literarum , quibus animum quoque suum , ita excoluerat , ut non inanem quandam eruditionis speciem quæri , sed veram sapientiam , quæ æterna cum fama salutem quoque parit , amari ab eo satis constaret ; posteritati enim reliquit librum de Passione Christi , & sermones diebus festis habitos ut me docuit Illusterrimus Cardinalium Nomenclator. Ad hæc insignem ad diuinum cultum promouendum liberalitatem adiecit , nam antequam è medio subduceretur , percelebris Parthenonis molem (sanctum Pantaleonem appellant , cuius & ipse pij martyris sacra lipsana dono dedit) ab ipsis fundamentis erigi , testamentariis tabulis mandauit , propter D. Stephani Basilicam , quo quidem in domicilio Moniales ducentas è D. Augustini instituto , annis ipse prouentibus sustentaret , duodenosque pariter instituit regulares Canonicos , qui diuinum illic Officium , & Sacerdotalis ritè muneris partes omnes exequerentur. Mortuus est autem Cardinalis Conuenarum an. 1348. alius 1349.

50. GUILLELMVS de Lauduno , loco de Laudun , Diocesis Vercenensis , à quo nomen oriundus :

è Sacrae Diui Dominici familiae sinu ad Viennensis sedis infulas primum raptus est, an. 1321. post ad Tolosanam Ecclesiam transfertur, an. 1328. longè ante Ioannis Cardinalis Conuenensis decessoris sui fatum. Fundauit in Ecclesia Metropolitana in honorem sui ordinis primicerij quatuor Capellanos, qui vulgò etiam hodie Præbendati S. Dominici nuncupantur, idque ann. 1340. cæcus factus Episcopatum suum eiurauit in manibus Clementis VI. Romani Pontificis, qui ad eius dignitatis gradum promouit Raymundum de Canilhac, sub annua pensationis lege in fauorem Guillelmi, qui postea plures annos vixit, quo verò tempore vivere desierit, non satis constat; perperam Seraphinus Razzius, & post eum Michael Pio, & alij, eum faciunt vita functum ann. 1340. cum adhuc etiam ann. 1345. Archiepiscopatu Tolosano potiretur, vti patet ex concessione eo anno ab ipso facta Collegiatis Narbonensis Gymnasij Tolosæ, ad petitionem Guasberti de Valle Arelatenis Archiepiscopi, eius Collegij fundatoris, de qua Castellus, V. C. in suis Occitanæ Commentariis lib. 1. cum de Collegio Narbonensi.

51. RAYMUNDVS DE CANILHAC V. natalium claritudine perillustis, sed longè virtutum nobilitate splendidior, ex præposito Ecclesiæ Magalonenfis per cessionem Guillelmi de qua supra, ad hanc sedem euehitur, an. 1347. à Clemente VI. à quo postea Cardinaliâ indutus purpurâ, Auenione anno 1350. sextodecimo Kalendas Ianuarij, quarta Patrum purpuratorum lectione, Cardinalibus Presbyteris titulo sanctæ Crucis primum accensus; postmodum Episcopatu Prænestino donatur ab Innocentio VI. dum satis cessit Cardinalis à Prato anno

1361. nostrum verò Cardinalem mors abripuit in ipsa Auenionensi Ciuitate an. 1373. duodecimo Kalend. Iulij; corpus apud Franciscanos depositum, hinc quarta Iulij die ad Magalonam paratum ad tumulum cum pompa delatum, qui in sacello, cui Canilhaci nomen est, etiam nunc conspicitur. Caterùm Innocentio VI. ad supernas sedes euocato, sortitus est Raymundus noster vndecim vota in electione Romani Pontificis, vt refert ex Villano Vir illustrissimus, & de Ecclesia optimè meritus Henricus Spondanus ad annum Christi 1362, quod equidem nobis excidere non debuit.

52. STEPHANVS ALDEBRANDVS, aliàs de Cambarut, ex Monacho professò sancti Illidij, & Tureti modici beneficij pastore, ad hanc sedem conscendit post Raymundum de Canilhac, idque Clementis VI. beneficio, qui veteris officij erga se memor, Stephanum ad tantæ dignitatis fastigium euexit. Is enim cum Lutetia Parisiorum, vbi Doctōris Theologi nomine & laurea donatus, Casam Dei, Monasterium suum repeteret, apud Aruernos non procul à Claromonte, incidit in latrones, qui tunc in saltu Ramdano viatores expectabant, nudatus ab his exutusque viatico & veste præter lincum indusum & vitam incolumen nihil habebat; Nihilominus iter suum profecutus, se recepit ad vicum proximi Tureti Rectorem Stephanum Aldebrandum, qui miseratus spoliati Monachi casum, vestem ei & necessaria vitæ dedit, benignèque habitus, cum discederet: eo-quando, inquit, acceptum beneficium referre poterò? tùm Aldebrandus, cum eris Romanus Pontifex, inquit, tunc mihi rependes. Multò post Clemens Pontificatum adeptus Aldebrandum Auc-

*Parr
Assis.*

nionem ire iubet, cumque cubicularium Pontificium fecit, posteaque Abbatia Cellensi, ac Episcopatibus Cassinensi in Italia, ac sancti Pontij Tomeriarum in Gallia, & tandem Archiepiscopatu Tolosano exornauit anno 1350. quo in munere is fuit usque ad annum millesimum trecentesium sexagesimum, quo apud suos excessit è viuis, ibidem terræ mandatus.

53. GAFFREDVS, qui aliis Gaufredus, cognomento de Vayrolis, Stephano è medio subducto, Tolosanum sacrum lituum sumpsit, anno 1361. is est, qui dissidentibus præposito & Capitulo Ecclesiæ Tolosanae, & Rectore Ecclesiæ Parochialis de Tauro; nec non vtriusque Ecclesiæ confraternitatis sacratissimi Corporis Christi ædituus, circa processionem, quæ quotannis in die eiusdem sanctissimi Corporis Christi, à sodalibus solemnè pompa fieri assollet, arbitrium suum interposuit, remque demùm ita composuit, vt vno quidem anno sollemnis supplicatio è Templo Ecclesiæ de Tauro prodiret, penesque Rectorem eiusdem Ecclesiæ foret, & sodalitatis præpositos, progredienti supplicantium agmini viam prænotare, sequentibus verò proximè annis duobus, procedens è sacra sancti Stephani æde supplicatio, excursus ac semitas iniret, ab eiusdem Ecclesiæ Capitulo & sodalibus præfectis decretas, quæ omnia constant ex peruetustis transactionis tabulis, quæ penes nos extant, anno Christi 366. supra millesimum subscriptæ, & asseruantur in Tolosani Capituli archiuo. Anno verò Christi 1368. præfuit Gaffredus vnà cum Petro Archiepiscopo Narbonensi, & Philippo Abbate Soricini, Arnaldi Auscitani vices gerente, concilio trium Prouinciarum, Narbonensis,

Tolosanæ, & Aulcitanæ, quod apud Vaurum authoritate Apostolica congregatum fuit, cuius acta exstabant apud Illustrissimum Carolum de Montchal Archiepiscopum Tolosanum, agitque de eodem Catellus, lib. 2. hystoriæ Occitanix cap. 10. Porro eius tempestate, non verò Stephani de Cambaruti, vt falsò habet Claudius Robertus in sua Gallia Christiana, Corpus sancti Thomæ Aquinatis è Monasterio Fossæ Nouæ, Tolosam ad Monasterium Ordinis anno 1368. asportatum fuit magna, vel illustrium virorum, qui comitabantur, vel Tolosatium obuiam prodeuntium pompa. Mortalitem expleuit Gaufredus anno 1376. 10. Martij sicut in Nectologio Tolosano recensetur.

54. IOANNES DE CARDAILHAC 2. illustri, vetustaque apud Cadurcos familia ortus, cuius parentes Bertrandus Dynasta Deuolio, *Buculé*, & S. Cyricij de Popia, Mater Esiningarda de Lautrec, Amalrici Vice-Comitis soror, generis claritudinem, virtutum suarum decore, ac literarum peritia sic cumulauit, vt his ad summam Ecclesiæ præfecturas varijs Europæ partibus, sibi viam aperuisse conspicua sit quondam, ac denurata Aquitania nostra. Etenim ex Episcopo Aimeni in Hispania, qui nunc Archiepiscopo Compostellano subest, ad Bracaiensem Archiepiscopatum in Lusitania promotum, inde Patriarcham Alexandrinum, & Administratorem perpetuum Ecclesiæ Tolosanæ post Gassredi decessum, declaratum fuisse legimus, quem honorem tot sollicitudinis pastoralis actionibus illustrauit, vt inter æui sui Antistites, dignus præ omnibus, qui sedis tantæ gubernacula capefferet, censitus sit; nec enim spectata solum virtutis laude, ac vitæ exemplo, egre-

giaque in Tempia Sanctorumque Reliquias munificentiam gregi suo praeluxit; sed & sedula diuini verbi dispensatione, assiduaque ac indefessa pastoralis cura, Episcopali oneri administrando sic incubuit, ut & Clero religionem, & populo deuotionem, ac in Regem fidem turbatis illis temporibus in Aquitania labefactatam, non restituerit modo, sed & sua praesertim in patria plurimum auxerit; cum enim Anglorum factionibus omnes ferè Aquitaniae populi, Cadurcenses maximè, & Ruthenenses à Rege descisissent, rarà, ac singulari, qua pollebat facundia id effecit, ut Authore Froissarto sexaginta plusquam ciuitates, excusso Anglorum iugo, ad Regis Christianissimi obedientiam redierint. Nec interim calamum suum feriari passus, multa reliquit opuscula, quae eum virum extitisse, tum literatissimum, tum eloquentissimum, planè demonstrant, inter quae recensentur manuscripti sermones eius, qui asseruantur Tolosae in Dominicanorum Bibliotheca, sed & quàm plurimae caeterae praeclarae legationes, quibus tum apud Urbanum V. tum apud Carolum quartum Imperatorem, aliosque Magnates egregiè perfusus. Tandem vitam & dignitatem reliquit anno Christi 1390. iacetque in Ecclesia Metropoli ante Aram principem Chori eiusdem Ecclesiae Metropolitanae verum. Licet nos plura de eius pietate, doctrina, scriptis eiusdemque profapia aliàs dicturi sumus peculiari elogio, vnum tamen hic annotare non pigebit, quod ad eius illustri familiae commendationem summè facit ex eadem gente produsse complures Pontifices qui magna prudentiae laude suas Ecclesias gubernarunt, Ioannem & Bertrandum Rutenenses, Guillelmum ac Bertrandum Montalbanenses, Guillelmum

sancti Papuli quem in vita & post mortem claruisse miraculis produnt tabularia sancti Papuli, ac demum tres insignes Cadurcorum Antistites, nempe Guillelmum cui Comitatum Cadurcinum Raymundo Tolosatium Comiti subductum debet Sedes Cadurcensis ob rem Ecclesiasticam benè foeliciterque gestam, Bertrandum qui tenuit hanc sedem ab anno 1324. ad annum 1367. & Franciscum nostri fratrem, qui prius à nobis nominari debuerat, quique ex Ordinis S. Francisci asceta, fuit ad hanc sedem euectus, cui, tam sanctè præfuit, ut indigenarum iudicio, sanctus ipse, uti & eius sepulchrum beati passim audiat.

55. FRANCISCUS DE CONZIE' I. qui Bertrando & Claudio Roberto de Sernaye, Catello & aliis de Soconero perperam dicitur, nobili stirpe editus in Bugefio, cuius patens Petrus Dominus de Conziaco, ex Cameraio Pseudopapæ Clementis VII. Ioannis in Episcopatu Tolofano *successor*, nostris vix Antistitibus annumerandus, Pontificij Sacerdotij iura non ultra annum se penes habuit, delata ei scilicet ab eodem Clemente VII. Narbonensis sedis insula anno 1391. fuit enim primò Gratianopolitanus Episcopus, tum Arelatensis anno 1388. post Tolofanus, demum Narbonensis Archiepiscopus & legatus Auenionensis, & Vicecancellarius Apostolicus, ac Gubernator, ReCTOR siue Vicarius Ciuitatis Auenionensis & Comitatus Venaisini à Martino V. Pont. Max. anno 1418. constitutus quo in munere, Auenione mortem oppetit anno 1432. mensis Decembris die vltima, ibidem apud Celestinos terræ mandatus. Hallucinantur qui ex eius sepulchri Epigraphæ, cum Franciscum de Geuen nuncupatum fuisse sibi persuaferunt, cum ex ea potius, cum patria

Gebennensem fuisse colligere debuerint.

56. P E T R V S à Sancto Martiale 3. Lemouicensis fuit primum Ruorum Antistes, à quo Episcopatu gradum fecit ad Carcassonensem, ac tandem Francisco Tolosano Archiepiscopo à Clemente VII. ad Narbonensem sedem translato, eiusdem Clementis VII. beneficio ad hanc Cathedram euocatur, in qua sedit ab anno 1391. vsque ad annum 1401. qui decretorius fuit vltimūque Petro nostro qui Tolosæ diem clausit extremum ipsis kalendis Decembris, iacetque in Ecclesia primaria ante Altare summum Chori Metropolitana, ponè tumulum Ioannis à Cardaillaco Patriarchæ Alexandrini decessoris sui vt supremo voto edixerat. Fratrem habuit Hugonem sacra donatum purpura ab Innocentio VI. anno 1361. qui Hugo Petri fratris vltimæ voluntatis executor fuerat constitutus, sed prædecessit. Porro eo sedente non verò Petro de Molendino vt perperam Bertrandus, sacrum sudarium quod Cadurj in Petrageris summa cum religione asseruabatur, metu Anglici belli à Bertrando de Moulins Abbate Cadunensi fuit Tolosam asportatum anno 1392. inque Ecclesiam quæ nunc beatæ Mariæ, tunc vero sancti Saturnini de Tauro nuncupabatur à Petro nostro concurrente insigni Episcoporum Conuentu, congrua cum solemnitate illatum, ac condecenti situ repositum est post Altare princeps, in cuius vicinia cum quibusdam Monachis ipse Abbas Cadunensis postmodum est commoratus, vt tabularia vrbis adnotant, & acta illius Abbatiae testantur.

57. VITALIS DE CASTROMAVRONO, *Castelmaur*, ex præposito Ecclesiæ Tolosanae, Tolosæ ipse petro de sancto Martiali demortuo, an. 1401.

Cleri nostri Connatus, suffragique ex templo sub-
 lectus, post confirmatam à Bituricensi Metropolita
 Aquitaniæ primæ electionem quinto Maij an. 1402.
 Tolosæ inungitur solemnî ritu, ut Civitatis Tabula-
 rium annotat. Sed res ad Benedictum 13. qui male-
 dictus potius dicendus est, perlara, vitale quantum-
 uis ritè inaugurato ab Archiepiscopatu submoto, *Catell.
lib. 5.
hist.
Occas. ex eo
Frisson.*
 Petrum S. Pontij Tomeriarum tunc temporis Anti-
 stitem ad eundem Archiepiscopatum promouit, mi-
 sitque Commissarios qui suo nomine Petrum in
 possessionem Archiepiscopatus illius introducerent
 adiuncta diris eos qui contradicerent deuouendi po-
 testate; Ast Vitalis ad Alexandrum quantum Pisis
 tunc degentem se recepit, à quo iterum diplomate
 dato, Archiepiscopus Tolosanus creatur, oblitera-
 tus (prout res exigebat) & in nihilum redactis Be-
 nedicti diris & minis, tum in Vitalem tum in Capi-
 tulum & Tolosani Prouinciæ vrbes inuictis habetur
 diploma Alexandri apud Catellum in quo vocat
 Petrum de Luna filium iniquitatis, datum Pisis 14.
 kalendas Septembris, pontificatus eius anno primo.
 Noster verò Archiepiscopus multis tum ad sedem
 apostolicam, tum ad Regem legationibus, præclarè
 functus Tolosæ occubuit ann. 1410. conditusque ibi
 est in Ecclesia principe, vbi tumulus eius nunc quo-
 que visitur. porro in actis Synodi pisanæ anno 1402.
 pisis coactæ, habetur Vitalem nostrum, qui à Bene-
 dicto Lunensi electus ad Concilium recurrebat coram
 omnibus Synodi patribus in Ecclesia sancti Martini
 Deo litasse Dominica die 11. kalend. Maij.

58. DOMINICVS DE FLORENTIA, Prouincialis
 apud Dominicanos Monachisimum professus, Al-
 biense rexit pedum ab anno 1379. vsque ad annum

1382. quo ad sancti Pontij Tomeriarum Præsulatum translatus est, inde regressus ad Albiensem tandem Vitale é viuis sublato ad sedem Tolosanam conscendit, quam simul cum vita deseruit anno Christi 1421. fuit Clementi VII. Pseudopontifici à confessionibus, eiusque ad Regem Castellæ legatus ipsiusque ope pax conficitur anno 1391. de eo Abraham Bzovius in annal. Eccle.

59. DIONYSIVS DE MOLENDINO, *du Moulin*, Meldis oriundus, Iurium Doctor præstantissimus & in Ecclesiis Viennensi, Remensi, Turonensi, Ebre-dunensi, Carnotensi, & Albiensi Canonicatibus clarus, dignus ob merita habitus est, qui sub Carolo 7. Regis Consiliarij dignitate, & libellorum supplicum præturâ ornaretur, quin & Dominico Tolosano Archiepiscopo humanis rebus exempto ad Archiepiscopalem Tolosæ Cathedram Diui Stephani Capituli electione die Aprilis 21. anno Domini 1422. ritè peracta promotus est, Henrico Dauaugour Bituricensi Archiepiscopo & Primate electionem confirmante, hinc ad Cathedram Parisiensem euehitur anno 1439. & à Papa Eugenio 4. confirmatur, Bullis super ea re datis die 4. Idus Iunias, quæ etiam num in Chartophylacio Diui Stephani asseruantur, etiam Alexandrini Patriarchatus honore decoratur, & tandem Cardinalis cum aliis Collegis à Felice V. Antipapa est creatus Basileæ, anno 1440. vt author est Ciaconius de quo tamen alij ambigunt, vita cessit Lutetiæ 15. Septembris an. 1447. humatus est in B. Virginis Cathedratice æde Parisiensi, sub æneâ Laminâ.

60. PETRVS DE MOLENDINO, *du Moulin*, 4. Comitibus Capituli suffragis ob præclaras animi do-

res Dionysio fratri ad Parisiensem sedem promotō suffectus, possessionem inuit anno 1439. die Septembris duodecima à Bernardo de Rosergio tunc præposito Tolosano postmodum Archiepiscopo in sedem illatus, ereptus peste in Castro de Balma prope Tolosam tertia die Octobris 1451. corpus eius ad urbem delatum humatumque ante Altare maius, ubi etiamnum tumulus eius marmoreus conspicitur.

61. BERNARDVS DE ROSERGIO, *du Rosier*, patria Tolosanus, sedi nostræ illustrandæ natus, factusque, suffragijs ipsius Tolosani Capituli eligitur Antistes illo ipso anno quo Petrus 4. decessor extinctus, huncque in Ecclesia Tolosana præpositum tunc fuisse docet Nicolai Romani pontificis huius nominis 5. diploma, quo ipsius electio confirmatur. Fuerat antea Ecclesiæ Metropolitanæ Canonicus, postea Archidiaconus, inde Infirmarius & Cancellarius, post præpositus, & ex Præposito sacro Vasatensis Ecclesiæ hinc Montalbanensis lituo exornatur, & tandem fit Tolosanus Archiepiscopus anno 1451. Qualis autem vir, quantusque fuerit Bernardus noster, memorari ex iusto nequit. Præter enim summan vitæ sanctimoniam, quâ pollebat, rara in eo ingenium, doctrina, eloquentia fuerunt, Theologicis disciplinis excultus, iuri cum Cæsareo, tum Pontificio pertinaciter incubuit, utroque clarus, id in Academia Tolosana summa cum laude publicè est interpretatus, ubi viginti annos primas inter iuris Canonici professores partes docendo tenuit; verùm intra Tolosanae Academice parietes latere vir tantus non diu potuit. Romam accititur; ibi cum esset sanctæ & Apostolicæ sedis Referendarius sub Eugenio IV. & Nicolao V. complures coram eis totoque Cardina-

lium catu, orationes habuit, in quibus splendidum eius eloquentiæ lumen eruit; hinc non tantum eruditissimus, sed summis quoque viris in pretio fuit. Tolosam reuersus frequenter ad populum pro concione dixit; exequias Caroli 7. Christianissimi Francorum Regis in Diui Stephani Protomartyris Basilica celebravit ex Tabulario vrbis in ipsique oratio funebris ab eo habita, quam grauter disertèque, & cum omnium admiratione perorauit. A concionandi munere ad stylum animum conuertit, & sicut primum vitæ florem, tum discendo, tum docendo contriuerat, ita reliquum vitæ lucubrationibus assiduis consecrauit. Harum Elenchum habes apud Bertrandum de Gestis Tolosanorum; fuit tandem vir facundissimus & religiosissimus, anno post reparatam salutem septuagesimo quarto supra millesimum & quadringentesimum decimo quinto kalend. Aprilis, non sine fama sanctitatis quam & miraculis contestatam refert iam laudatus Bertrandus huius tempestatis scriptor fidelissimus. Iacet Tolosæ in sanctio Stephano ante Aram summam.

62. PETRVS DE LEONE, *du Lion*, Gastonis Domini de Malaufe Senescalli Tolosæ frater anno proximè sequenti Bernardi obitum à Sixto IV. in demortui locum subrogatur, sedemque repleuit ad annum 1491. quo in fata concessit die vigesima prima Februarij sub infularum itaque dignitate sexdecim ipsos annos ab anno 1475. quo possessionem iniit ad annum 1491. sedis maiestatem sustinuit amplificauitque; sed præcipuè iurisdictionis suæ ac Curia Episcopalis decus ac splendorem auxit dum Stephanum Aufserium virum clarissimum Officialem suum constituit anno 1483. qui commentaria erudita

edidit, in Capellæ Tolosanae, seu Tribunalis Pontificij decisiones, quas postmodum Bertrandus de Peyronet pater meus colendissimus, qui cum esset Iuris vtriusque Consultus, & in suprema Tolosatam Curia Patronus, in hoc tamen forensi Iurisdictionum Ecclesiasticarum pulvere ætatem triuerat, nouis commentariis illustrauit. Hos recognitos prope diem, si Deus faxit, iuris publici faciemus.

63. HECTOR DE BORBONIO, *Bourbon*, Ioannis Borbonij Ducis huius nominis secundi filius Nothus ex Ecclesia Vaurenfi, cuius erat Antistes, probante Innocentio VIII. literis super ea re datis, ad Metropolitanam euolauit contra Canonicorum vota, qui petro de Leone mortalitate perfuncto, alterum petrum de Rosergio nuncupatum eiusdem Ecclesiæ tunc præpositum communi assensu elegerant, vnde non parua tempestas quæ vrbein nostram concuteret, exorta est, duobus de Archiepiscopatu disceptantibus. Sed tandem post varias lites in varijs huius Regni supremorum Senatuum Tribunalibus agitatas, Petrus de Rosergio licet iure electus Hectori de Borbonio, pontificia Regiaque autoritate fulto, cedere coactus est. Hector verò mortu Tolosæ succubuit anno 1502. humo mandatus apud sanctum Stephanum.

64. IOANNES DE AVRELIA, *d'Orleans*, Cardinalis de Longueville tit. S. Martini in Montibus clarissima stirpe, si quæ vlla in Gallia oriundus, Francisci Dunenſis, Longueuillæ, & Tanquarullæ Comitſ, Normanniæ Proregis ex Agnete Sabauda Carolæ Ludouici XI. Regis sorore filius, Francisci verò Comitſ Dunenſis, priuſque Ducis Longuauillæi frater, vir tanto ſatu digniſſimus, natalem vidit

*Sam-
mart.
Ferr. in
Geneal.*

diem Partheniaci in Pictonibus anno 1484. duodeviginti annos , vix dum emensus Hectore Borbonio hominem exuente , Tolosanæ Ecclesiæ præficitur anno 1502. Tolosam appulit anno 1522. Dominica lætare , ibique omnium ordinum occurratione, turba populi confertissima honorificentissimè est exceptus, assistentibus philippo de Leus Mirapicensi , Ioanne de pratis Montalbanensi , Simone de Bellosole Vaurensi, & Bernardo de Lordat Apamienſi Episcopis. Hic totus reformando Clero , Nitroque pristino restituendo intentus statutorum Synodaliū author fuit , quibus eam Tolosano Clero disciplinam præscripsit, quæ in nostram vsque ætatem seruat. Archiepiscopus Tolosanus cum esset Germano de Canay Aurelianensi Episcopo 102. ad superos euocato à sacro Canonorum Aurelianensium sodalitis dignitatem Episcopalem sibi delatam videt anno 1521. iisdemque postulantibus accedentibus Regis Francisci primi, cuius ipse consanguineus erat , *codicillis* a Leone X. confirmatus est Aurelianensium Antistes, eoque dispensante Archiepiscopatum Tolosanum cum Episcopatu Aurelianensi retinuit , cuius & ipse iniuit sedem admissus de more solemniter die 1. Maij eodem anno quo solempni pompa Tolosam ingressus. Ad supremi verò Ecclesiæ Senatus euectus est purpuram nono Calendas Martias anno 1533. conferente Bononiæ Clemente VII. Cardinalis sancti Martini in Montibus effectus. Nec multò post mense scilicet Octobri eiusdem anni 1533. ætatis verò suæ 50. Romanam purpuram cum immortalitatis stola cōmutat, in Tarasconensi Ciuitate Prouinciæ in quam sese receperat, vt summo pontifici , Clementi VII. iret obuiam , Massiliam aduentanti ad celebritatem Nuptiarum

tiarum Catharinæ Medicæ cum Henrico Aurelianensi Duce. Porro eo sedente, & probante Canonici Regulares Metropolis donantur seculari toga à Julio II. diplomate super ea re dato anno 1510.

65. GABRIEL DE GRAMONT, qui Onuphrio, Ciacomo, & aliis de Acrimonte Grandimontana familia, quæ à Regio Cantabrorum sanguine originem trahit, stemmate clarus; sed præclaris animi dotibus, compluribusque legationibus summa prudentiæ laude obitis longe clarior, Patrum purpuratorum numero allecius Romæ cum regius esset Orator à Clemente VII. anno 1530. dum texta Patres legerentur; & quidem Cardinalis Presbyter titulo sanctæ Cæciliæ, ex Pontificatu Conforanensi primum, deinde Tarbenfi ad Piétaviensem & Burdegalensem, & inde Ioanne Aurelianensi Tarascone nobis erepro ad Tolosanum traducitur, cuius fœdis possessionem per procuratorem imit sexto Calendas Nouembris anno 1533. solemnemque ingressum celebravit die decima quinta Martij eiusdem anni à prima die Dominicæ Conceptionis (antiquorum more) numerati; nec multò post gravi morbo correptus in Castro de Balma parum Tolosâ dissito è vivis evipitur septimo Calendas Iunij anno 1534. (hallucinantur qui annum 1554. eius mortui assignant) corpus delatum ad Ecclesiam Castri de Bidache Diœcesis Baionensis, ibique apud suos Bearnenses conditum Acrimontanorum procerum sepulchrâli sacrario.

66. ODETUS DE COLIGNY Cardinalis de Castellione, *Chavillon*, Gasparis Domini de Castellione Equitum Tribuni, & Ludovicæ Montmorancie Annæ Magni equitum Magistrî sororis

filius, frater Gasparis Colligniaci Maris præfeci, Catholicis parentibus natus anno 1523 in purpuratorum Collegium cooptatus Massiliæ à Clemente VII. Diaconus Cardinalis SS. Sergij & Bacchi anno 1533. fit Archiepiscopus Tolosanus Gabriele Cardinale de Gramont vita functo anno 1534. postea Bellouacensi præfuit Episcopatus, Comes & par Franciæ. Sed tandem prohi dolor! Calumniana labe infectus ad hæreticorum partes defecit, miseramque effudit animam Cantuariæ in Angliam transfuga anno 1571.

